MAXIMILIANI STOLL
S. C. R. A. M. CONS. NOSOCOMII
S. S. TRINIT. PHYSICI ORDINARII,
ET PROF. PRAX. MEDICAE P. O.

PARS QUINTA

RATIONIS MEDENDI

IN NOSOCOMIO PRACTICO VINDOBONENSI.

VIENNAE AUSTRIAE
SUMTIBUS RUD. GRAEFFER
ET SOC. MDCCLXXXIX.

SECTIO I.

OBSERVATIONES MEDICÆ

ANNORUM 1774 & 1775.



HISTORIA
MORBI. I.

Die 27. Novemb.

Famulus sanus fuit perfecte. Ante quinque annos sæva pleuritide laboravit.

1774. 17. Nov. Pleuritis.

Hodie mane horruit. Vesperi caluit. Somnus exiguus turbatus. Sitis, cephalalgia. Difficilis, dolensque respiratio, tussis exigua. Sputum croceum, dolor in latere dextro punctorius. Lingua alba. Conatus ad vomitum.

Die 28. Nov.

Mane venæ sectio.

Cruſta phlogiſtica. Eadem omnia. Veſperi denuo

Venæ ſectio.

Nulla cruſta. Somnus ut pridie.

Die 29. *Nov.*

Mane vocatus deprehendi pulſum celerem, non durum, æqualem. Dolor idem punctorius. Uti heri & nudius tertius. Dedi ſequentia:

℞. Specier. dialtheæ Fernelii.
— — — Herb. pector. āā unc. ij.
Flor. verbaſc.
— — Rhœad. āā Mj.
M. D. U.

℞. Aqu. flor. ſambuc. unc. vj.
Oxymell. ſimpl.
Syrup. fl. rhœad. āā unc. ij.
Nitri puri dr. ij.
Spiritus ſulph. per Camp. dr. j.

M. Sumat omni hora cochlear ordinarium ſuperbibendo duo vaſcula decocti pectoralis. Tempore intermedio bibat decoctum hordei tepide. Omni die veſperi clysma emolliens. Item

℞. Flor. malv.
— — Altheæ āā ℔j.

D. U. Divid. in p. ij. Pro cataplasmate ad latus dolens, & pectus.

Ve-

Vesperi sitis minor, pulsus ut antea, dolor idem. Tussis modica, & respiratio melior, sputum album, tenax, absque striis sanguineis. Somnus noctu turbatus ut antea.

Die 30. Nov.

Mane major sitis, respiratio paulo difficilior, quam heri vesperi. Dolor tamen mitior.

Vena secta.

Sanguis cum magna crusta.

Repetita priora.

Sputum album, tussis humidior, nullæ striæ. Sputum difficilius solvitur, sed est copiosius, minus album. Dolor punctorius longe minor post venæ sectionem, & vagus. Urina minus russa a meridie, eneorema subsidens. Pulsus ut ante. Nox ut heri, aut forte paulo melior.

Die 1. Dec.

Mane dolor punctorius versus scapulam sentitur subinde, item juxta latus colli dextrum. Dolor non continuus, tamen paulo major quam heri vesperi, respiratio modo difficilior, sputum paucum & difficilius. A meridie sputa crassa, cocta copiosiora, dolor mitior. Urina hucusque russa cum eneoremate subsidente. Urina hodierna post IX horas incepit turbari absque sedimento.

Nota. Exacerbationes redeunt tempore matutino. Hodie epiſpaſtica ad pedes adplicata. Bina clysmata emollientia, data alia mixtura, cum priorem reſpueret ob nimium, ut ajebat, acorem.

℞. Aquæ flor. ſambuc. unc. viij.
Oxymel. ſimpl.
Syrup. flor. rhœad. āā unc. ij.
Nitri puri dr. ij.

M. Omni hora duo cochlearia ordinaria cum binis vaſculis decocti.

Heri alvus copioſa, cocta prodiit. Veſperi per horam fere pacate dormivit. Noctu vix aliquas convulſivas membrorum tractiones ſenſit, quæ tamen hucusque frequentiores fuere. Dormiviſſet, ſed tuſſis modo frequentior, ſputaque cocta, copioſioraque ſomnum turbarunt. Dolor punctorius non continuus, levior, & pectus oberrans.

Die 2. Dec.

Mane absque ſiti inventus. Pulſus mollior, quam hucusque, ſputa copioſa, cocta. Dolor exiguus, vagus, renovata ſunt
epiſpaſtica,
clysma
cataplasma.

Item

Item vesperi incipiat sequenti mixtura uti magis expectorante.

℞. Aquæ flor. sambuc. unc. vj.
Oxymel. simpl. unc. jv.
Nitri puri dr. ij.

M. D. U. Omni hora duo cochlearia sumat.

Nota. 1) Notandus error eorum, qui vesicantibus nimis mature utuntur.

2) Quis effectus vesicantium? Quando adhibenda in pleuritide? Quandonam *methodus stimulans*, quæ a quibusdam laudatur, adhiberi potest.

3) Quid circa venæ sectionem observandum in pleuritide? Quare aliqui in quavis fere pleuritide ad sextam, septimam imo & decimam, aut plures etiam venæ sectiones deveniunt?

4) Unde *desumenda* necessitas repetendi venæ sectionem, an ex dolore persistente, an ex crusta? an in pertinaciori gravorique pleuritide *maturior* usus vesicantium? An non potius contraindicatur.

5) Quæ tempora pleuritidem facilius producunt? Quare in civitatibus atque adeo in manibus medicorum graviores sunt pleuritides? Verum quidem est: victus oppidanorum minus simplex, sanguinem reddit acri-

 orem,

orem, at, an non ipſa medicatio intempeſtive ſedula, nimiæ venæ ſectiones, & abuſus veſicantium potiſſima cauſſa periculi & tardæ reconvaleſcentiæ eſt?

Ruri vidi & curavi multas graviſſimas pleuritides, non inter ruſticos ſolum, ſed inter nobiles vino & carnibus victitantes, facili negotio duabus, ad ſummam tribus venæ ſectionibus. Vidi regulariores criſes, citamque reconvaleſcentiam, & frequentiorem per *exſpectorationem* criſin; ubi e contra urbani noſtri medici paucas *per exſpectorationem criſin* experiuntur, quod & ego in quodam noſocomio vidi. Attamen expectoratio *tutior* omni alia criſi eſt in pleuritide, & *Hippocrati* ſæpius viſa, etſi, uti notum, aliæ ſuccedaneæ & ſubalternæ criſes comitari aut ſubſequi *hanc principalem* ſoleant.

Die 3. *Dec.*

Somnus paulo melior, ſputa copioſa. Hodie (dies ſeptima morbi) uti & heri urina turbida fit, ſedimentum rubellum imperfecte deponit. Multum & per vices hodie dormit. Nullus in quieſcente dolor punctorius. Sputa glutinoſa multa, item multa cocta prodeunt copioſiſſime. Heri & hodie

nul-

nulla ſitis. Urina minus ruffa. Pulſus celerior naturali, at mollis. Appetit.

Die 4. *Dec.*

Nox minus quieta, ſputum minus copioſum, valde glutinoſum. Paulo major oppreſſio, pulſus celerior, quam pridie. Sitis denuo. Urina brevi turbatur, & deponit ſedimentum rubellum.

Die 5. *Dec.*

Nox quietior. Sputum facilius, copioſius, pulſus minus celer, quam hucusque. Hac nocte largus ſudor. Urina ut heri. Pectus levius. Alvus mucoſa.

Die 6. *Dec.*

Nox ut heri. Pulſus aut naturalis, vix celerior. Pectus leve. Nullus dolor. Urina paulo magis flava, quam in ſtatu naturali.

Die 7. *&* 8. *Dec.*

Ut ſexta Dec.

Die 9. *Dec.*

Somnus bonus, & appetitus.

Die 10—11. *Dec.*

Somnus bonus. Appetitus. Pectus leve. Sputa pauca, minus glutinoſa.

Die 12. *Dec.*

Omnia bene ſe habent, multum his diebus dormit. Pulſus naturalis. Sumat cras ſequens:

℞.

℞. Aquæ laxat. Vienn. unc. jv.

D. u. Sumat mane mediam partem, & poſt bihorium ſumat reliquum.

Die 13 *Dec.*

Quinquies, aut ſexies absque incommodo purgatus eſt. Et bene per omnia ſe habet.

Nota. In pleuritide duplex conſiderari ſtatus debet:

1) *Inflammatorius*, ubi cura mere antiphlogiſtica adhiberi debet.

2) *Status ſolutionis* pulſa jam inflammatione. Hoc in ſtatu, ſi e. g. ſputo ſolvi morbus incipiat, omnis generis *expectorantia* dari poſſunt, quæve leniter movent.

Hic ſtatus pleuritidis ſecundus, qui leniter moventia medicamenta requirit, convenit aliquo modo cum *peripneumonia notha* a materia viſcida, uti in ſenibus, item in pueris perſæpe experimur.

HI-

HISTORIA MORBI II.

Die 30 *Nov.*

1774. die 30 Nov. Paralyſis.

Puella decem annorum, anno ætatis primo atrophica facta, curata eſt. Ante quinque annos variolas paucas & boni moris habuit. At poſt illas innumeris circa caput furunculis vexabatur. Achoribus ſæpe laboravit per vitam. Ante tres annos ex morbillis æque convaluit. Ante tredecim menſes nulla cognita cauſſa prægreſſa debilitatem, ſpasmum in utroque crure querebatur, brevi poſt frigus pedum, & inſiſtendi iisdem impotentiam ſenſit. Motus & ſenſus, uti & nutritio debita in pedibus & cruribus perſiſtunt. At ſtandi impotentiam, & frigus conqueritur. Dolores colicos, tenesmumque frequentem experitur. Aeſtate hac ſæpius obſervati lumbrici. Appetit, dormit. Habitus corporis plenus, & puella ceteroquin vegeta. Per annum circiter dorſum circa ſui medium excreſcere incipit. Hac æſtate per aliquot ſeptimanas balneo Badenſi uſa id lucrabatur, ut inſiſtere tamen pedibus, & juxta directionem menſæ ambulare poſſit.

℞. Pulv.

℞. Pulv. cort. peruv.
Sem. ſanton. āā. dr. ij.
Corallin.
Corn. cerv. uſt. āā. dr. j.
Vitriol. mart. artif. ſcr. j.
Pulv. hier. pic.
—— rad. jalapp. āā. dr. jß.
M. Omni mane cochlear coff. in melle.

℞. Aquæ ſerpilli dr. vj.
Spirit. ſerpilli,
— — lumbric. āā. unc. ijß.
M. Ut crura, femora, lumbos bene fricet. Item utatur balneo ex lixivio cinerum, ſulphure & ſale marino, ac herba rutæ parato quotidie per horam. Deinde crura fricet dato ſpiritu.

Die 17 *Dec.*

Utitur præſcripto pulvere quotidie. At nimiam propinando doſin ſex, ſeptemque ſedes per diem puella habuit. Vermes nulli a matre advertebantur. Juſſi, ut omni quarta die medicamentum det. Balnea non diligenter adhibita ſunt. Nullam in cruribus emendationem ſentit.

Die

Die 15 *Jan.* 1775.

Juxta directionem menſæ & parietum diutius, facilius & ſæpius ambulare poteſt. Si diutius ſedeat, accedit tumor pedum circa malleolos, id quod etiam ante uſum medicamentorum fuit. Utatur pulvere ſuperius præſcripto omni tertio die. Balneo uti non poteſt ob lignorum penuriam, quæ ad balnei calefactionem requiruntur. Bis per diem fumum baccarum juniperi admittat ad crura, & eadem fricet panno (*Flanel*), dein ſequenti ſpiritu probe inungat & fricet crura, femora, lumbos.

℞. Aquæ ſerpill.
Spititus ſerpill. āā. unc. v.
— — ſalis ammon. dr. v.
M. D. U.

Nota. Opus eſſet, ut ſucculſio electrica adhibeatur; at adplicandi occaſio deeſt. Danda pariter forent gummi-reſinoſa, ſolventia, roborantia &c. nervina; ſed parentum paupertas prohibet.

Die 14 *Octobr.* 1775.

Hodie mater puellam ad me adduxit ſanam, & prompte incedere valentem, mihique gratias egit.

HI-

HISTORIA MORBI III.

Die 12 *Dec.*

Pleuritis.

Ferrarius 45 annorum, per omnem vitam frequentibus narium hæmorrhagiis obnoxius; potui deditus. Ab aliquot septimanis oppressio pectoris, tussis, & largum sputum.

Die 13 *Dec.*

Copiosa narium hæmorrhagia.

Die 15. *Dec.*

Vesperi horruit, dein æstuavit, cum respiratione difficili, sitique. Demum accedit dolor punctorius sub mamilla dextra. Tussis per vices ingens, potenter & sicca. Facta eadem vespera

Venæ sectio.

Crusta phlogistica. Nullus somnus.

Die 16 *Dec.*

Mane eadem omnia. Facta
altera sectio venæ.

A meridie eadem omnia. Facta
denuo venæ sectio.

Sanguis semper cum crusta. Somnus nullus, sitis, & valde magnus capitis dolor.

Die

Die 17 *Dec.*

Omnia, ut heri. A meridie larga diaphoresis per totum corpus. Nox, ut antea. Hucusque usus est

Decocto hordei cum oxymelle & nitro.
Speciebus de althea,
Unguento de althea ad latus.

Die 18 *Dec.*

Mane vocatus ægrotum inveni cum pulsu pleno, duro, citato, sitientem, capite valde dolente, tussis potenter per vices invadens, dolor fixus, & æque vehemens, ut antea. Lingua humida, materia obducta flavo-virescente. Sputa nulla; urinam videre non potui. Alvus aperta per clysteres. Facta est denuo

Venæ sectio.

Sanguis cum ingenti crusta flavo-virescente. More delirantis properanter & alta voce loquitur, suasi præter

emulsionem,
decocta emollientia &c.
balneum pedum ad vesperam.

Die 19 *Dec.*

Hodie sputa apparent partim glutinosa, partim cocta. Pulsus minus durus; tres per diem sedes laxæ; larga a meridie diaphoresis. Tussis per vices ingruit. Dolor

punctorius non continuus; ſomnus noctu exiguus; ad auroram tamen obdormivit, & ſequenti

Die 20 Dec.

Mane nulla, ut alias, exacerbatio animadvertebatur. Alvus mollior hoc mane; ſitis nulla. Dolor & tuſſis per vices ingruunt. Minor pectoris oppreſſio; pulſus celer, mollis; lingua mucoſa & materia leviter flaveſcente obducta, minus tamen, quam nuper. Sputa copioſa mucoſa ut plurimum, aliqua cocta, cum pauculo purulento. Urina minus ruffa cum eneoremate ſubſidente in globum collecto.

Nota. Aeger hucusque ſumſit decoctum hordei cum oxymelle & nitro. Species de althea cum cataplasmate ad latus. Nitrum & oxymel omiſſum modo eſt, ne oborta fors diarrhæa expectorationem ſupprimat. Data ſunt ſequentia:

℞. Semin. melon.
— — cucum. āā. unc. ij.
— — papav. alb. unc. j.
F. l. a. cum aqua hordei libr. jv. emulſio. Cui adde
Syrup. rhæad.
— — papav. alb. āā. unc. ij.
M. D. U.

℞. Sy-

℞. Syrup. de althea,
— — rhæad. āā. unc. iv.
Spirit. vitrioli dr. j.
M. D. U.
Sumat una hora cochlear ordinarium hujus ſyrupi, & altera hora vaſculum emulſionis.

Hodie veſperi nullus dolor.

Nota. Vidi plures catarrhoſos, de oppreſſione pectoris, dolore punctorio inter tuſſiendum queſtos hisce diebus.

Pleuritis hujus temporis id peculiare habet, atque a *pleuritide eſſentiali* aliquantum differt.

1) In eo ſcilicet, quod ægroti linguam habeant non ſiccam, ſed humidam, viſcidam, materia flaveſcente obductam.

2) Quod ſputa potiſſimum ſint mucoſa, viſcida potius, quam *cocta.* Ergo pulmo ſimul & *inflammatus* & *glutinoſus* eſt. Dispulſa phlogoſi emollientia & mere ſolventia non nimis diu protrahenda, ſed ea danda ſunt, quæ glutinoſam materiam leniſſime incidant, & promota expectoratione eliminent. Hac in ſpecie pleuritidis repetita etiam lenia catarrhica circa finem morbi ad abſtergendas mucoſas reliquias conveniunt.

Die 21 Dec.

Nox ob ingruentem tuſſim minus quieta. Sputa ut heri, urina ut heri, ſed cum eneoremate ſuſpenſo. Mane circa ſextam circiter horam placidus ſomnus; pulſus liber, naturali celerior; minor pectoris oppreſſio; alvus ſemel, bona. Vegetior & hilarior apparebat hodie. Reſpiratio, ut & loquela minus præcipitata, magis producta, ac placida apparet, levior. Sumat una hora vaſculum emulſi, altera hora duo vaſcula decocti pectoralis, cum ſingulo miſceat cochlear ordinarium ſyrupi heri præſcripti.

Die 22 Dec.

Noctu ſomnus, ſed aliquoties tuſſi interruptus; ſitis nulla, nec capitis dolor; reſpiratio bona; ſputa partim glutinoſa, partim cocta; lingua humida, modice albeſcens. Multum & æquabiliter per totum corpus ſudat, præcipue ſi dormiat, & a ſomno. Pulſus paulo minus celer quam heri, æqualis, liber. Medicamenta eadem, quæ heri, ſumat. Urina paulo minus ruffa, cum eneoremate ſuſpenſo; nullus dolor ad latus; alvus bona ſemel.

Die 23 Dec.

Noctu ſomnus bonus; pectus non oppreſſum; tuſſis minus moleſta; ſputa minus te-

tenacia, partim glutinoſa, partim coƈta; nulla ſitis; pulſus ut heri; nullus lateris dolor. Urina, poſt mediam noƈtem miſſa, ſedimentum copioſum ex albo rubellum imperfeƈte depoſuit. Vox rauca.

Nota. Urina ad finem diei ſeptimæ mutata.

Sumat eadem, quæ heri.

Die 24 Dec.

Toto die bene ſe habuit. Veſperi autem leve frigus; tuſſis pauca; reſpiratio bona. Nox bona. Urina paulo coloratior, naturalis, abſque ſedimento.

Die. 25 Dec.

Tuſſis pauca; reſpiratio bona. Queritur peƈtus ſiccum, attamen non oppreſſum. Vox rauca; pulſus fere naturalis; ſitis nulla; lingua bona; alvus libera. Non ſitit. Sputa facilia, non copioſa, partim glutinoſa, partim coƈta; larga transſpiratio.

℞. Hord. mund.
Herb. verbaſc. & rhæad. āā. man. ij.
Glycyrrh. unc. jv.
C. C. D. U. Diviſ. in jv. part.
Singulam coq. per 1/4 hor. cum libr. jv. aquæ. Omni bihorio duo vaſcula coff. Singulo autem vaſculo addatur cochl. ord. ſequentis:

 ℞. Oxy-

℞. Oxymell. ſquillit.
Syrup. de hyoſciam. āā. unc. jv.
Stibii diaphoret. non abl. dr. ij.
M. D. U.

Die 26 Dec.

Noctu ſomnus; urina citrina; ſputum vix ullum; pulſus modice celerior heſterno. Quæritur dolorem pungentem ſub ſcrobiculo cordis extrorſum, ſi paulo fortius tuſſitat. Flatus, borborygmi & lumborum dolor jam per duos, tresve dies; alvus facilis, bona, ſubinde glutinoſa; ſitis aliqua; pectus non oppreſſum; tuſſis rara admodum; lingua bona.

Die 27 Dec.

Vix ullus ſomnus; pulſus naturali celerior, mollis; ſitis nulla; dolor punctorius ad ſcrobiculum nullus. Cetera omnia ut heri.

Nota. Indicatur lene purgans, quo gluten ad inteſtina delatum educatur.

Die 28, 29 Dec.

Omnia ut die 27 Dec.; urina tamen naturalis, aut fere naturalis.

Die 30 Dec.

Eſt decimus quartus morbi dies. Poſt decimum quartum diem purgatus eſt aqua laxat. Vienn. unc. jv. Sumat med. partem, & bihorio poſt ſumat reliquam. Bene valet.

HI-

HISTORIA MORBI IV.

Hypochondriasis.

Dominus de H**. A tribus fere annis vertigo, flatus, alvus dura, tubercula hæmorrhoidalia molestant. Subinde dolores colici. Tremor crurum, & genua quasi fracta subinde. Terrores repentini. Anxietas, & ingens pusillanimitas. Si flatus erumpant aliquot, cessat & pectoris constrictio & sensuum confusio, atque vertigo. Hoc anno, quo officium censoris librorum agit, gravius infestatur his incommodis: flatus, & vertigo gravius incumbunt mane ante sumptionem jentaculi; sumpto Caffe cum cremore lactis, loco jentaculi melius habet; ab hocce jentaculo id commodi etiam habet, quod alvus inde facilior evadat. A spirituosis pejus habet. Minus appetit per hos tres annos, quam alias. Tranquille dormit. Corpus plenum, succulentum, color sanus. Suasi hirudines, motum, & abstinentiam a spirituosis. Item si subinde nulla alia ratione alvum reddere morigeram possit, sumat mane ante jentaculum cochlear tincturæ rhei aquosæ. Tempore verno utatur herbis, equitatione & aura rurali.

HISTORIA MORBI V.

Die 20 Decemb.

Febris inflammatoria.

Auriga quidem 30 annorum, quærebatur de paroxysmo febrili omni vespera cum frigore, & subsequente calore ingruente, aliisque febrium symptomatibus stipata. Lingua humida, modice viscida & albo flavescens. Appetit. Somnus inquietus. tussit; Pectus modice oppressum. Pulsus extra paroxysmum celer.

Fiat venæ sectio in brachio.

Sanguis crustam *lætissime roseam* ut plurimum, ab una tamen parte *modice phlogisticam* habuit. Vesperi vix aliqua paroxysmi admonitio. Utitur sequenti potu.

℞. Rad. Gramin.
— tarax. āā unc. iij.
— glycyrrh. unc. ij.

C. C. D. U. divis. in p. iij. Singulam coquat per horam cum M. j ß aquæ. Bibat quater per diem duo vascula cum melle.

Eodem die, ut & duobus sequentibus melius quoad omnia se habuit.

Nota. Dispositio febrilis inflammatoria, probe dignoscenda, ne periculoso errore pro intermittente quotidiana habeatur.

Die

Die 24. Decemb.

Heri & hodie circa matutinam horruit, deinde æstuavit. Sitit. Lassitudo. Oppresio pectoris. Pulsus celer. Lingua humida, & crusta alba obducta.

Fiat venæ sectio & sumat sequentia

℞. Hord. mund.
Fol. Altheæ
— maluæ.
Flor. verbasc. āā Mij.
Glycyrrh. Unc. jv.

C. D. U. divis. in part. jv. Singulam coquat per 1/4 horam cum Libr. jv. aquæ. Omni hora vasculum. Singulo autem vasculo addat cochlear ordinarium sequentis.

℞. Syrup. de Symphyt.
Oxymell. simpl. āā unc. iv.
Nitri puri Dr. jβ.
M. D. U.

Die 26. Decemb.

Pulsus bonus, sitis tamen, minor pectoris oppressio. Pergat in usu priorum.

Die 28. Decemb.

Per omnia bene se habet. Pulsus lentus, aliqua tamen lassitudo.

HISTORIA MORBI VI.

Die 26. Decemb.

Morbilli.

Puella 15 menſ. Ante quatuordecim dies ſcilicet (25. D.), veſperi caluit, oculi lachrimoſi, tumidi. Sternutavit frequenter. Nox inquieta.

Die ſequenti in facie primum morbilli. Poſt tres ab eruptione dies tuſſis acceſſit, difficilisque reſpiratio. Tuſſis, oppreſſio pectoris, ſitis, calores manent hucusque; ab octo diebus diarrhœam habet, moderatam tamen, ex quo tempore dentes canini prorumpere conantur. Salivatio continua, gingivæ tenſæ, inflammatæ. Os, lingua, labia pellicula alba glabra, nitidaque obducta, idque a tribus jam diebus.

℞. Succi ſempervivi majoris unc, ß
Syrup. violar. unc. iij.
Spiritus ſulphur p. camp. gt. xij.

M. Pro inungendis gingivis, lingua, labiis.

℞. Radic. gramin. unc. iv.
glycyrrhiz unc. j.

C. C. D. U. fiat inde decoctum pro potu ordinario tepide exhibendo

℞.

℞. Aquæ flor. rhead.
— — sambuc. āā unc. ij.
Syrup. glycyrrh.
— — papav. alb. āā unc. ß.

M. D. U. Omni hora cochlear ordinarium.

Die 27. Decemb.

Hac nocte minus frequenter tussitavit. Per duas horas quiete & uno tractu dormivit. Labiorum, linguæ crusta minus alba. Vegetior puella apparet. Copiosa salivatio. Semel per noctem alvum posuit boni caloris & consistentiæ, pergat in usu præscriptorum.

Die 7. Jan. 1775.

Bene se habet, excepta aliqua adhuc tussi. Hucusque repetita priora sunt.

HISTORIA MORBI VII.

Die 11. Jan.

Abortus.

Fœmina bis feliciter peperit. Mense Julio prioris anni, elapso nono mense graviditatis, prolem peperit mortuam. Historia autem hujus tertiæ graviditatis est sequens: usque ad quintum mensem hujus graviditatis, quo tempore motum prolis experiri solebat, vomitum patiebatur, si carnes comederet

deret, a quibus ſummopere abhorrebat inde a conceptione usque ad primum infantis motum, ita ut nequidem carnium odorem, dum forte macellum præteriret, ferre potuerit. Carnes aſſas non vomuit quidem, attamen non appetit. Farinoſa aliaque & appetiit & retinuit. Hæc omnia etiam in primis duabus graviditatibus experiebatur. Statuto tempore, menſe ſcilicet quinto motum infantis ſentit quidem, ſed debilem. Unde ſuaſu mulierculæ venam brachii ſecat. Mox nullum penitus infantis motum experitur, & abdomen collabitur, attamen non penitus. Incipit languere fœmina, ſeque male habere, abjecti animi eſſe; horret ſubinde, cum intermixtis caloribus, ſudat noctu, faciei color luridus, & anhelitus fœtens ab adſtantibus obſervabatur. Retinuit tamen carnes comeſtas, ut & in aliis graviditatibus poſt quintum menſem. Exacto nono menſe poſt ſaltum patitur dolores parturientium, attamen fœtum adhuc retinet per octo dies, tandem absque doloribus dum ambulat, fœtum integrum, ſed ſolito minorem, putridum & fœtentem enititur. Convaluit facile a partu; at inde menſtrua omni altera ſeptimana, aut tardius, irregulariter & parciſſime fluebant.

San-

Sanguis fœtens & nigerrimus. Nihil aquosi, nihil albi in menstruis.

Quarta vice concepit cum iisdem ut alias, incommodis; post duos menses graviditatis abortum patitur cum magna hæmorrhagia, longeque major in tribus aliis partubus simul sumtis, per duos hosce graviditatis menses colicos & ventriculi dolores patiebatur, hunc autem abortum passa est ante quindecim dies. Nunc ventriculus dolet, caput obtusum. Debilis est, & valde sudat noctu, sudor fœtidus.

℞. Sapon. venet. unc. β.
Extract. amaric.
Mass. pil. Ruff. āā dr. ij.
Sal. polychrest. dr. jβ.
Oxymell. squillit. q. s.

M. f. pill. gr. jv. S. ter de die quatuor cum vasculo sequentis:

℞. Herb. salv.
— — Roris marin.
— — Abrotan. āā m. jβ.

C. D. U.

Nota. Tempore primorum mensium graviditatis, quo vomitu solebat vexari, appetiit summopere potum caffee cum cremore lactis, quo sæpius per diem usa est. Similem vomitum & nauseam a carnibus primis

mis menſibus paſſa eſt Dom. de A*** & pariter optime ſe habuit a potu coffe. Alia Dom. de H*** vomitum & nauſeam a carnibus ſemper in graviditate patitur; facile autem fert farinacea. Hæc præſens ægra aſſas carnes non vomuit, ſed nec appetiit, bubulam vero elixam præprimis nauſeavit, vomuitque.

Die 15. Jan.

Paulo minus ſudat. Quater per diem a pilulis purgatur.

Die 2. Febr.

Die 20. Januarii menſtrua redierunt debito ſcilicet tempore. Fluxere copioſe per quatuor dies. Bene ſe habet, dormit, appetit, non eſt defatigata. Subinde adhuc ſudat.

℞. Gummi ammon.
Extract. martis pomat.
— — gentian. āā dr. ijβ.
Maſſ. pill. Ruff. dr. jβ.
Ol. menth. gt. jv.
Therebinth. q. ſ.

M. f. pill. gr. jv. Bis de die pilulas quatuor. Tum ℥.

℞. Rad. gentian. dr. ij.
Cort. aurant. dr. j.
Vini rubri budenſis libr. ij.
M.

Hora

Hora ante prandium & cœnam ſumat unc. ij.

HISTORIA MORBI VIII.

Die 9. *Jan.* 1775.

Mors apoplectica.

Mortuus eſt circa has dies quidam homo cœlebs, dives, corpulentus ex apoplexia, cujus hiſtoria ſequens fuit: In audientia apud Cæſarem apoplecticus cadit; defertur domum, mox copioſæ venæ ſectiones factæ ſunt. Cruſtæ in ſanguine phlogiſticæ, ſtatim applicata veſicantia, ſtatim copioſe data eſt aqua laxativa. Aliquoties mens rediit. Primis diebus exacerbationes non ita erant manifeſtæ. At die quarto aut quinto manifeſtæ aderant exacerbationes, more febrium continuarum remittentium. Exacerbatio quotidiana cum comate, a quo excitari nulla ratione potuit durante exacerbatione, cum pulſu ſumme febrili. Ergo ab hoc die, quarto an quinto, dari cortex peruvianus cepit omni forma, doſi largiſſima; nullus effectus. Urinæ hypoſtaticæ verſus diem decimum quartum nullam amplius hypoſtaſin monſtrarunt. Circa initium diei decimæ quartæ mors. Qua ætate fuerit ignoro,

ro, puto tamen, me audiviſſe, fuiſſe quinquagenarium.

Novem veſicantia univerſim erant adplicata. Nonies vena ſecta. Bis ſanguiſugæ ad tempora adplicatæ. Ultra centum vices hoc morbi tempore alvum poſuit datis purgantibus ex aqua laxativa vienneníi & nitro.

Plures hic fieri quæſtiones poſſunt.

1) An in apoplexia ſanguinea, quæ fors nihil aliud eſt, *quam inflammatio cerebri, uti pleuritis, ſed quæ eas partes occupat, quæ ad peragendas ſenſuum functiones requiruntur*, an, inquam, bene veſicantia adplicentur, præcipue ad initium. Iis in hoc morbo *Baglivius* non favet. Puto ego, eadem æque certo nocere in hoc caſu, ſicut in omni morbo vere *inflammatorio* circa initium.

2) An purgans bene datur? Videtur purgantia æque male *hic* convenire, uti in omni alio morbo *vere inflammatorio*, e. g. pleuritide, peripneumonia, phrenitide.

3) An in omni acceſſione, ſive exacerbatione, fieri venæ ſectio debeat? Puto, contrarium, ſi enim debita ſanguinis quantitas emiſſa ſit, æque male ulterius vena ſecatur, quam in pleuritidis, ſingula exacerbatione id fieret.

4)

4) An cortex bene datur in tali caſu? Reſpondeo: cortex exacerbationes a ſanguine phlogiſtico ortas adeo non tollit, ut easdem etiam augeat. Patet id in ſanguiſputis, exacerbationes patientibus.

HISTORIA MORBI IX.

Die 30. *Dec.*

Arthritis.

Juvencula annorum 23. Ab annis oſſa metacarpi & digiti præcipue, circa articulos tument, tument & ipſæ partes carnoſæ. Digiti non poſſunt omnes extendi. Color affectarum partium naturalis. Manus difficulter movetur. Sique diutius manum teneat quietam, difficulter eandam poſtea movet. Primis annis dolores magnos in affectis partibus, præcipue in lecto ſenſat, at modo nullos. Tumor non aquoſus, ſed molliter elaſticus. Si partes affectas diligenti motu exerceat, melius ſe habet. Idem vitium etiam in pedibus. Menſtrua ordinata ſemper. Bona ſemper valetudine uſa eſt. A balneis pedum manuumque ſulphuratis melius habuit. A balneo totius corporis budenſi peſſime habuit quoad reliquam ſanitatem, etenim multum inde debilitabatur, etſi quoad pedes melius ad initium ſe habuit.

buit. A decoctis ſudoriferis, purgantibus in partibus affectis pejus habuit, ſimulque inde emaciebatur. Primis viis gaudet debilioribus & delicatioribus, ita, ut ab inſolito, aut paulo duriori cibo, diarrhœam facile patitur. Suaſi uſum frictionum, balneorum, crurum, manuumque, item uſum herbarum antiſcorbuticarum. Disſuaſi evacuantia, omniaque, quæ debilitant. Utatur diæta nutriente. Piſa, lentes, farinoſa non fermentata non adhibeat. Habitationem humidam, qua per multos annos utitur, deſerat. His omnibus adhibitis ea etiam in uſum trahuntur, quæ ſolutioni ſcilicet humoribus, corpori roborando, & invigorando ſanguini dicata ſunt. Suaſi & uſum vini abſynthitis, eorum memor, quæ *Baglivius* roborando ventriculo de cura chronicorum quorundam morborum ait fol. 66. operum omnium.

HISTORIA MORBI X.

Die 13. *Decemb.*

Colluvies ſeroſa ad ventriculum.

Puella annorum 19. Sana ſemper fuit. Ante quinque menſes quæſta eſt de amarore & glutinoſitate oris, ventriculi tumore & duritie. Appetiit tamen, dormivitque. Sitis

tis per intervalla, dolores capitis, mane præprimis a ſomno alvus tarda, omni altero die, difficilis. Menſtrua plerumque ordinata. Aliquoties tempore inter menſtrua intermedio fluor albus, moderatus tamen, obſervabatur. A quo tamen datis a medico pilulis curata fuit. Ante aliquot tempus menſtrua eodem menſe bis ſat copioſe fluxere. Nunc ſunt ſatis ordinata. Crura ad malleolos interdiu modice tument ab aliquot ſeptimanis. Mane tument hypopia. Datis a quodam medico pilulis per epicraſin purgantibus, magnam aquoſæ materiæ quantitatem dejecit, & diutius inde ſat bene habuit. Id ſemper obſervatur, ut ad quodvis purgans copioſas & aquoſas ſedes habeat, indeque levamen ſentiat. Corpus & facies turgidula, plenaque ſæpe bene coloratur, ſubinde colore lurido valde. Semel dato emetico bene inde ſe habuit.

Nota. Conſtitutio corporis laxior eſſe videtur, prædominari ſerum, quod ad ventriculum ſubinde copioſius fertur, eundemque replet, relaxat. Colluviem hujus ſeri in glandulis ſuccum gaſtricum & entericum ſecernentibus factam eſſe arbitror. Indicantur ea, quæ glandulas emungant; ſerum ad inteſtina & alvum determinant, ſimul-

que laxiorem corporis habitum reddunt ſtrictiorem.

HISTORIA MORBI XI.

Die 8. *Jan.*

Colica a glutine.

Dom. de A** 26. circiter annorum. Maritata & ſemper ſana fuit, niſi quod ante duos annos dolorem ad regionem ventriculi & hypochondrium ſiniſtrum paſſa fuit, dolor erat *contorquens*, cum vomitu aſſumptorum. Tumor ſimul in abdomine ortus atque etiam locum mutavit, & per abdominis latus ſiniſtrum hinc inde vagabatur. Alvus libera. Nulli calores, nulla ſitis, dolor ad attactum major. Per hoc bienium ſubinde rediit dolor hic ad ventriculum, ſed admodum mitis & absque vomitu. Menſtrua copioſa, omni tertia, ſubinde etiam omni ſecunda ſeptimana.

Nudius tertius motu idem dolor graviter infeſtat, cum vomitu aſſumptorum & deinde etiam materiæ bilioſæ.

Secta mane vena eſt. Sanguis bonus. Perſeverante dolore, absque vomitu tamen, nunquam plene intermittente, attamen remittente, quique etſi ad dextrum etiam hypochondrium excurrat ſubinde, locum tamen

ſuum

ſuum nunquam plene deſerit, ſed fixus manet: datum purgans leniſſimum per epicraſin ex aqua laxativa Vienn. & ſyrupo de cichoreo cum rheo.

Ternas alvos poſuit non liquidas, albas & leviſſime flaveſcentes. Levamen nullum.

Hodie (die 8. Jan.) omnia inveni vocatus, uti narratum ſupra eſt. Omnia ea ſymptomata adſunt, quæ ante biennium adfuere, ſi tumores illom vagos per abdomen excipias. Dolor exaſperatur, ſi rudius attractetur ventriculus, item ſi ſe convertat in alterutrum latus, aut ſeſe moveat. Nulla ſitis. Nullus calor. Nullus capitis dolor. Urinæ turæidæ, bilioſæ; dolor ventriculi major, dum mingit. Lumbi valde dolent. Pulſus mollis, naturali paulo celerior. Somnus nullus; lingua humida, appetitus.

℞. Empl. de galb. croc. Unc. j.
Ol. nuc. moſchat. expreſſ. ʒj.
Opii crudi gr. xij.
M. f. Scutum ſtomachic.

℞. Aqu. menth. Unc. v.
Spirit. menth. Dr. j.
Eſſent. Succin. Dr. β.
Syrup. menth.

Syrup. Diacod. āā Unc. jβ.
Laud. liquid. Sydenh. Scr. ij.

M. Omni bihorio duo cochlear. ordinaria.

Injecta fuere clysmata tria, juſſu prioris medici. Juſſi denuo dari clysma ex decocto furfurum, vitello ovi & oleo lini.

Poſt primam doſin dolor vix non totus evanuit. Ad veſperam nullus dolor. Urina facile prodiit. Sudavit a meridie. Pulſus naturali celerior. Sitis modica. Ab alio medico præſcriptum ſal abſynthii non ſulphurati ad dr. ij. cum ſucco limonum in ipſo actu effervescentiæ datum effecit graviorem vomitum.

Die 9. Jan.

Nox bona & ſomnus. Mane circa quintam alvum compactam, copioſam, albam, ſive argillaceam odoris teterrimi habuit. Cum alvum deponeret dolor a ſcrobiculo cordis verſus hypochondrium ſiniſtrum & lumbos tendens recruduit, mitius tamen, & per intervalla remiſit. Sitis. Larga transſpiratio, & pruritus in facie tota, præprimis ad naſum (procul dubio ab opiatis) urina flava, brevi turbida. Os ſiccum. Caput non dolet. Sumat pro potu ordinario tenuem

emul

emulſionem ſeminum frigidorum, dein cataplasma ad latus dolentem. Item

℞. Aquæ laxat. Viennenſ. Unc. jv.
Cremor. tart. Dr. iij.

Sumat mediam partem illico, & alteram poſt bihorium.

Dum purgatur, copioſe bibat infuſum flor. ſambuci cum cremore tartari. Item injectum clysma. Veſperi ſumat paregoricum.

Nota. Ante duos annos cum illum tumorem haberet mobilem in abdomine, qui tamen plerumque in ſiniſtro abdominis latere perſtitit, pejus habuit a cibis carneis; melius a piſcibus. Semel depoſita alvo copioſiſſima, ſcybalis duriſſimis exiguis, quaſi caprillo ſtercore conſiſtente, ſanabatur.

Nonies purgabatur. Sedes quatuor aut quinque copioſæ, compactæ, argillaceæ, reliquæ vero liquidæ intermiſta alba ſive argillacea. Ante ultimam ſedem & etiam poſt illam dolor recruduit. Sumſit poſtmodum veſperi mixturam paregoricam. Sitis nulla, nullus capitis nec ventriculi dolor appetiit. Os non ſiccum. Pulſus mollis, & celer.

Nota. Ante duos annos a quodam medico curabatur ſumptis juſculis copioſis cum

cremore tartari. Tunc autem a carnibus abſtinere juſſa, piscibus veſcebatur, qui bene ceſſerunt. In anamneſi etiam hoc habet, quod durioribus cibis aſſumptis facile lienteriam patiatur, & tempore ſanitatis plenariæ frequenter alvum albam, ſive argillaceam habeat. Ergo firmandæ primæ viæ, vappidæque bilis vitium corrigendum myrrha, & extractis amaricantibus diu aſſumendis.

Die 10. *Jan.*

Somnus interruptus, dolores aut nulli aut exigui. Mane bene ſe habuit; appetiit. Data ſunt ſequentia.

℞. Seri lactis tamarind. libr. j β.

D. omni hora uncias quatuor ſumat, cum decem guttis ſequentis.

℞. Liquor anod. m. Hoffm. dr. j.
Tincturæ ſuccin. ſcr. j.
M. D. U.

Nullus per diem dolor; borborgymi multi, nulla ſitis. Nullus capitis dolor. Pulſus naturaliter vix celerior. Larga tranſpiratio. Binæ ſedes flavæ, pultaceæ. Urina brevi turbata copioſum ſedimentum furfuraceum depoſuit, ſed ipſa remanſit turbida.

Sumat veſperi duo coclearia mixturæ paregoricæ. Ante ſomnum duæ ſedes bene coloratæ, liquidiores.

Die

Die 11. *Jan.*

Nox præterita bona, nullus dolor, nulla ſitis. Urina ut heri. Appetit. Minus ſudat hac nocte, quam prioribus.

℞. Seri lactis tamarindinat. lib. j.

Doſis pro die variis vicibus abſumenda cum aliquot guttis liquoris anodin. min. Hoffmanni. Alvus unica liquidior, flava. Caput modice obtuſum. Urina ut heri, attamen perfectius depoſuit. Alvus ad noctem bona, conſiſtentior.

Die 12. *Jan.*

Noctu ſomnus interruptus.

℞. Tinctur. rhei aquoſ. unc. jv.
Extract. amaric.
— — helen. āā dr. j.
Syrup. de abſynth. unc. jß.
Liquor. anod. min. Hoffm. gt. xxx.

M. Sumat mane & veſperi cochlear ordinarium.

Hodie alvus nulla.

Die 13. *Jan.*

Somnus noctu inquietus. Mane leviſſime horuit. Sitis, caput obtuſum, os glutinoſum, lingua ex albo flaveſcens, pulſus celerior, quam antea, urina hypoſtatica valde. Circa decimam ante meridiem alvus copioſa caſtanei coloris, melius ſe habuit, &

in latus ſiniſtum cubare prima vice iterum potuit, quod hucusque ob dolorem ejusdem lateris non potuit. Appetiit. A meridie pulſus fere naturalis. Sitis exigua. Alvus adhuc ter poſuit poſtmodum.

Die 14. *Jan.*

Noctu ſomnus modice turbatus. Mane ſitis modica, pulſus paulo celerior, quam heri veſperi, appetiit. Alvum ante meridiem bis poſuit, mollis, caſtanei colloris. A duodecima hora meridiana ad ſextam usque extra lectum transegit. Tunc leviſſime horruit, quales horrores illa etiam in ſanitate frequenter experitur. Bis veſperi alvus poſita.

Die 15. *Jan.*

Noctu *dolor colicus*, nullus autem amplius dolor ventriculi, ſomnus aut nullus, aut valde exiguus. Urina cum dolore mittitur, ſedimentoſa eſt ut antea. Mane binæ ſedes liquidæ, dolores mitiores. Nulla ſitis, nullus dolor in capite. Lingua, quam hucusque ſordidam vidi, hodie prima vice pura eſt. Appetit. Pulſus mollis, paulo celerior naturali.

Nota Heri veſperi ira ſe commotam fuiſſe ait. Inde fors dolorum reditus. At fortaſſis dolor inferiora petens, ventriculus

non

non amplius affectus, lingua hodie pura denotant, materiæ biliosæ reliquias hucusque circa ventriculum stabulantes inferius promotas, & excretioni alvinæ proximas esse.

℞. Aquæ menth. unc. iij.
Spiritus menth.
Tinctur. succin. āā dr. β.
Syrup. diac.
— — Menth. āā unc. jβ.
Laud. liquid. Sydenham. gt. XL.

M. Omni bihorio duo cochlearia. Cras autem sumat mane & vesperi medium cochlear mixturæ superius præscriptæ scilicet ex Tinctura rhei aquosa &c.

Die 16. *Jan.*

Noctu somnus bonus, & quietus. Mane dolores vix ulli, appetiit, diutius & facilius extra lectum fuit. Tres per diem sedes liquidæ. Urina cum sedimento semirubro, copioso. Hodie graviter ira commota est. Vesperi levis horror.

Die 17. *Jan.*

Noctu dolores infimi ventris, nullus somnus. Mane dolor. Urina ut husus que. Incepit hodie corticem sumere cum omni altera die redire dolor & gravius & cum horrore incipiat.

℞.

℞. Pulver. cort. peruv. dr. j.
Castor. gr. ij.
Laudan. puri gr. β.
M. D. U. & f. tales no. jv.

Hac die tres adhuc pulveres sumere potuit. Fuit extra lectum, facilius. Sitis nulla, nullus capitis dolor. Heri & hodie urinam difficulter & stranguriose misit.

Die 18. *Jan.*

Noctu somnus bonus. Subinde tamen subito excitabatur fors ob laudanum. Mane alvus semel liquida. Tumor ad abdominis latus sinistrum versus inguen durus ad levissimum attactum dolens. Dolores etsi mitiores, etiam alibi per abdomen. Vesperi non horruit, pulsus tamen celerior, dolores majores; inappetentia toto die. Sumsit hodie quinque drachmas corticis absque castoreo & laudano. Urina hodie pauca, sedimentosa ut antea.

Die 19. *Jan.*

Nox insomnis, dolores abdominis. Sitis nulla, nullus dolor capitis. Mane ante septimam prægressa leipothymia, sudoreque frigido alvus copiosa, compacta partim, partim liquida, coloris corticem referentibus. Urina copiosa, non mucosa amplius ad latera vitri, cum nubecula subsidente, & absque

que illo ſedimento farfuraceo, albo, rubelloque. Hora nona, prægreſſa denuo lipothymia alvus ut mane. Dolor mitior. Pergit in ſumendo cortice, emulſione, & cataplasmate. Veſperi alvus cum ſcybalis duris & glutine tenaci, multo, ceterum liquida. Venter mollis. Urina ut mane. Hodie ſemel aſſumptum corticem evomuit cum multo glutine. Sumſit univerſim quinque drachmas.

Die 20. Jan.

Noctu ſomnus ſed interruptus. Alvus una alterave per noctem. Mane binæ ſedes liquidæ cum glutine multo, & ſcybalis. In altera ſede ex hiſce binis integrum ſemen melonum non decorticatum ipſemet vidi. Conſtabat autem jam a menſe Auguſto melones non comediſſe. Durities modica in latere dextro abdominis; in ſiniſtro diſparuit.

Nota. Abdomen ad mollem attactum ſummopere dolet. Urina mane minus flava cum exigua nubecula ſubſidente.

Per hosce dies nec ſitis, nec dolor capitis. Vomuit ſemel corticem cum multo glutine; os valde glutinoſum. A meridie alvus quinquies polita, non copioſa, liquida ſemper, at tum intermixtis ſcybalis & multo glutine. Dolores hodie mitiores, quam heri

heri & nudius tertius. Veſperi nullus paroxysmus, ſed ſomnus placidus per $1\frac{1}{2}$ horam. Urina veſpertina cum multo ad latera vitri muco, & cum ſedimento ſubrubro. Hodie quatuor drachmæ corticis aſſumptæ. Sera veſpera binæ adhuc aliæ ſedes cum ſcybalis.

℞. Seri lactis tamarind. libr. jβ.
Liquor. terræ fol. tartari dr. j.
Syrup. de flaved. cort. aurant. unc. ij.
M. Omni hora vaſculum.

Sumſit univerſim circiter libram hujus ſeri.

Nota. Plura hic notanda veniunt.

1) Colicam hanc eſſe a glutine valido, acrive.

2) Quæ diſtinctio ab alia colica, ſcilicet inflammatoria? Attactum æque parum fert.

3) Quæ ſubjecta huic colicæ magis obnoxia? Qui caſeo, butyro, oleo, fumatis delectantur, qui male maſticata deglutiunt, qui frequentes lienterias patiuntur.

4) Hæc Domina videtur habere hinc inde in ſaccos ampliata inteſtina, ubi ſcybala remoram faciunt, ibique tumores abdominis mentiuntur. Origo ſaccorum horum inteſtinalium fors ſunt graviditates prægreſſæ, inteſtina premente utero; aut ſpasmi inteſti-

no-

norum, quos adhuc infans a vermibus aut undecunque paſſa eſt.

5) Doloris acuties, pulſus celer, attactus dolorem in abdomiue contrectato excitans æque in hac *colica biliosa aut viscosa* eſt, uti in *inflammatoria.*

6) Purgans non juvat, etiam ſæpe repetitum, ut videre eſt ex noſtro caſu. Nam & ante morbum purgante uſa eſt. At vero *ſolventium longus uſus* cum leniter purgantibus requiritur. Huc facit ſerum lactis tamarindinatum cum terra foliata tartari, addito fors exiguo ſtimulo. Emulſiones parum prodeſſe videntur. Nocent opiata, niſi doloris atrocitas ea exigat. Nocet per ſe venæ ſectio.

Nota. Etiam datis largiter opiatis dolor tamen non penitus conticuit.

7) Juscula bubulina, mucilaginoſa etiam non indicantur.

Die 21. *Jan.*

Nox bona, ſomnus bonus. Mane tres ſedes. Duæ primæ cum glutine multo & ſcybalis; tertia ſolum gluten, in ſpeciem gelatinæ habuit. Heri & hodie urina eſt cum muco ad latera vitri & ſedimento copioſo ſubrubello. Dolores exigui. Pauca abdominis durities ad latus ejus ſiniſtrum.

Cum

Cum doſi corticis magnam pituitæ copiam evomuit. Ad prandium panatellam ſumſit cum pauxillo macis. Circa tertiam pomeridianam dolores redierunt, inde ad ſeram usque veſperam ſexies alvum poſuit, paucam quidem, at ſemper glutinoſam, absque ſcybalis. Sumſit ſequens:

℞. Seri lacti tamarind. libr. jß.
Liquor. terræ fol. tartari dr. ij.
Syrup. de flaved. cort. aur. unc. ij.
M. D. U.

Sumſit toto hoc die paulo plus quam libram hujus ſeri. Sumſit mane & veſperi doſin corticis.

Die 22 Jan.

Nox ſat bona; ſomnus bonus ter interruptus. Mane doſin corticis ſumſit circa octavam; binæ ſedes absque ſcybalis cum pauciore glutine magis diſſoluto. Urina ut heri. Priori uti & hac nocte ſudavit. Hodie ſumit reliquam ſeri lactis ſuperſtitis partem. Abdomen molle, attactum facilius fert.

Nota. Per duos hosce dies de ſtranguria, & dolore ex renibus verſus inguina tendente ſub mictu non eſt conqueſta amplius. Conqueritur autem adhuc de dolore lumborum. Lingua, ut hucusque, ex alba flaveſcit. Os non glutinoſum. Rara & exigua

ſitis.

ſitis. Caput non dolet. Pulſus celerior naturali.

Notat *Baglivius*, dolores *nephriticos*, uti & *colicos* a *viſcido* oriundos, quos & in hoc caſu hucusque deſcripto adfuiſſe conſtat. Uti neceſſarium omnino eſt, colicam a *viſcido* ortam rite ab *inflammatoria* distinguere, ita dolores *nephritici* ab inflammatione orti bene diſtingui debent ab iis, quos creat *viſcidum*. Vide *Bagliv.* l. 5. de colica.

Dolores hodie vix ulli, & non niſi ad veſperam. Alvum circiter octies, aut nonies poſuit, ſemper cum multa pituita ex albo flaveſcente. Veſperi binis vicibus pituitæ flaveſcentis & tremulæ magna fruſta ejicit alvo. In omni alvo erant fruſtula quaſi lactis coagulati.

Dolores, quos antea in regione ventriculi, dein paulo inferiores experiebatur, ſentit modo longe inferius, & utrinque verſus inguina, ita ut in dextro latere dolor ſe ad femur dextrum extenderit, illiusque motum reddiderit dolorificum. Sumſit hodie reſiduam ſeri lactis tamarindinati partem, cujus ſingulo vaſculo aliquot guttas liquoris anod. min. Hoffm. cum æquali portione tincturæ ſuccini inſtillavit, id quod huc-

usque factitatum eſt. Iterum mane & veſperi ſumſit doſin corticis, partim ad impediendum reditum, partim etiam, ut ſenſim labefactata inteſtina roborentur. Pro die ſequenti ſequentia præſcripta ſunt:

℞. Emplaſt. de galban. croc.
— — oxycroc. āā. unc. jß.
Balſam. peruvian. q. ſ. ut malaxetur.

Imponat hoc emplaſtrum loco cataplasmatis ad infimum abdomen.

℞. Seri lactis tamarind. libr. j.
Liquor. terræ fol. tartari dr. j.
Syrup. de flaved. cort. aurant. unc. j.
M. D. U.
Variis hauſtibus per diem abſolvat.

Nota. Non aſſumat frigide, nam ab aſſumptis frigidis dolor recrudeſcit, uti obſervavi.

℞. Syrup. diacod. unc. iij.
Laud. liquid. Sydenhami gutt. xv.
M. D. U.
Sumat omni nocte cubitum concedens duo cochlearia ſyrupi, & ſi mane dolores etiam ſentiat, ſumat pariter duo.

Ordo ſumendi medicamenta ſequens eſt: mane hora ſexta corticem; octava panatellam; nona, decima, undecima ſerum lactis

lactis tamarindinatum, cum liquore anodyno & tinctura ſuccini; duodecima panatellam; ſecunda & tertia ſerum lactis; quarta corticem; ſexta panatellam; octava & nona veſperi ſerum lactis; decima ante ſomnum diacodium.

Die 23 Jan.

Somnus noctu bonus, ſubinde interruptus. Non ſudavit noctu. Hac nocte rediere menſtrua, poſt tres ſeptimanas ab ultimis menſtruis. Urina absque muco ad latera, ſed cum multo ſedimento; ut hucusque nulli hac noctu, nec mane dolores, nihilominus tamen etiam hodie mane ſumſit duo cochlearia diacodii. Mane nulla alvus. Hodie appetitus bonus. Hodie ter alvum poſuit cum pituita vitrea.

Nota. Se quondam curatam ab hoc morbo ait, multis aliis fruſtra adhibitis, ſolo tartari cremore, quem copioſe in panatellis & juſculis ſumſit, adpoſito inſuper emplaſtro ex una emplaſtri de galbano & unciis duabus emplaſtri oxycrocei & ſufficienti quantitate olei menthæ malaxato. An etiam tunc pituitam vitream egeſſerit, ignoro, attamen probabile videtur.

Die 24 *Jan.*

Nox bona; attamen ſomnus interruptus, flatibus per noctem infeſtabatur. Nulli dolores; pulſus celerior naturali. Os non glutinoſum, appetit; non ſitit. Alvus mane valde copioſa cum pituita vitrea. Univerſim alvum quinquies poſuit, parum pituitæ advertebatur; in una alvo quaſi oleum ſupernatabat, cum tamen oleoſa nulla, nec ore, nec ano, fuerint ingeſta. Sumſit mane corticem, ante meridiem ſerum lactis reſiduum; a meridie vero ſumſit cremorem tartari in juſculo carnium floribus chamomillæ infuſo. Reliquæ ſedes ut plurimum aquoſæ, ſpumoſæ. Dolores exigui, & fere nulli, iique ſolum verſus inguen dextrum.

Die 25 *Jan.*

Nox ſat bona; ſomnus ſubinde interruptus; lingua pura; os non glutinoſum. Appetit; non ſitit. Nuper mane oleum ſupernatabat urinæ, globulos olei lini referens. Pridie clysma oleoſum injectum erat, at urinam in matulam miſit, in quam antea alvus cum enemate oleoſo miſſa eſt; hinc fors globuli oleoſi. Ajebat autem, obtectas pingui pellicula urinas ſæpius prodire, easque morbum inſtantem ſignificare. Sumit mane & veſperi corticem, item circiter tres, aut

qua-

quatuor drachmas cremoris tartari variis per diem vicibus in juſculo bubulino florum chamomillæ; veſperi paregoricum. Hodie ſexies, aut ſepties alvum liquidum absque glutine poſuit.

Nota. Cum die nona Januarii ſumeret purgans, durante purgantis operatione mitius habebat a colica, quam poſt ejus operationem: id quod jam *Sydenhamus* in colica bilioſa obſervavit.

Dolor crudelis per vices ingruens, ita tamen, ut nunquam plene remittat. Ejulatus miſerabilis, compreſſis dentibus, oculis protuberantibus ſe lamentabilem in modum contorquent. Levamen aliquod habent a cataplasmatibus abdomini adplicatis.

Baglivius ait, ſæpe obſervari in iis, quibus obſtructiones ſunt in primis viis cum maximo humorum apparatu crudorum in meſenterio, urinam diminute procedere, & aliquando ſupprimi: quia humorum ejusmodi in meſenterio hærentium cauſſa, lymphæ curſus in limphaticis viſcerum vaſis turbatur, & impeditur. Diuretica quantacunque & cujuscunque activitatis dederis, urinam non educes, imo magis ſupprimes; purgantia educendo meſenterii impuritates, pro modulo, quo tales educuntur impuritates,

urinæ quoque curſus aperitur, & ægri ſanantur.

Die 26 Jan.

Nox bona; ſomnus bonus valde circa auroram; urina facilis & copioſiſſima. Mane cortex; bihorio poſt vaſculum chiocoladæ. Dein alvus copioſa, mollis, non liquida, naturalis. Binis ante meridiem vicibus cremorem tartari ſumſit in juſculo chamomillae. Prandium ſit panatella ex pane toſto, pulmentum ex pomis cum pauxillo cinamomi & vini rubri modico; hora poſt ſumat vaſculum caffee; a meridie abſtineat a cremore tartari; veſperi corticem, & demum paregoricum ſumat. Optime ſe habet; nulli omnino dolores.

Nota. In ſanitate comedere ſolet crudiores carnes, easque cito, & male maſticatas devorat. Hodie quater alvum poſuit mollem, non pituitoſam.

Die 29 Jan.

Somnus optimus. Appetit. Nullus dolor. Binæ ſedes molles absque pituita. Pergat in uſu corticis. cremoris & diacodii veſpere ſumendi. Adhibeat per menſes aliquot frictiones quotidianas abdominis. Media hora ante prandium & cœnam ſumat pauxillum vini amaricantis & medicati.

Hi-

HISTORIA MORBI XII.

Die 17 Jan.

1775.

Phrenitici exstispicium.

Hodie secui cadaver hominis quinquegenarii, robusti, quive ex pleuritide occubuit. En historiam:

Ante septem septimanas pleuritide laboravit, quae rite & breviter curabatur, nec enim gravis fuit. Fungebatur denuo sanus munere aurigae, uti ante.

Die 14 Januarii de dolore capitis quaeritur, uti & die sequenti, attamen nondum decubuit, sed adhuc aurigae labores absolvit. Hac die versus meridiem M. j. vini ebibit. Hora prima pomeridiana de immani capitis dolore conquestus decumbit, mox delirat, & toto corpore convellitur. Facta statim venae sectione crusta summe phlogistica. Alius vocatus medicus senex vomicam pulmonis ex pleuritide, ut ajebat, mala curata oriundam, ruptam modo esse pronunciat, deditque flores arnicae cum camphora. Aeger exacto die circa primam, aut secundam noctis horam moritur. Die decima septima ante meridiem cadaver secui. Pectus sanum ex toto, nisi levem pulmonis adhaesionem ad pleuram paulo infra mamil-

 lam

lam dextram excipias. Superficies cerebri tota ſuperius, & in fundo calvariæ inflammata, attamen major & profundior inflammatio cerebri in ea parte, quæ fronti reſpondet, majorque adhuc inflammatio in cava frontis parte, quam dextra; ajebant adſtantes ægrum delirantem, convulſumque conſtanter ad mortem fere usque elatis manibus frontem contrectaſſe.

HISTORIA MORBI XIII.

1775.

Die 31 *Januarii.*

Convulſio capitis & brachiorum.

Puer decem annorum. Menſe Auguſto anni prioris (1774) dolor capitis ad frontem & tota anteriori capitis parte; dolor hic continuus fuit, calores ſubito aſcendentes, genarum rubores & ſitis adfuit. Adplicabantur tunc matracia herbis cephalicis ſpirituoſo liquore irrorata. Inde major capitis dolor factus eſt, & tantus demum, ut attactum paulo rudiorem ad verticem capitis ferre non potuerit, facta ad verticem levi percuſſione plana manu mox poſtmodum, cum jam convulſionibus laborabat, paroxysmus convulſivus excitabatur. Poſt aliquot ſeptimanas alteruter oculus ſæpius per diem de-

delabente palpebra claudebatur, perque aliquot minuta prima clausus mansit. Dum antea capitis dolor urgeret, puer eum sensum habuit, ac si globus in capite modo in hoc, modo in illud latus capitis relaberetur, prout ipsemet caput modo in hanc, modo illam partem reclinaret. Hinc quidam medici hydropem capitis esse pronuntiarunt, & medicamenta ex junipero parata, præscripserunt. At post usum matraciorum & diureticorum oculus, ut supra relatum est, claudi cæpit. Alius vocatus medicus præscripsit vesicans ad nucham: inde per unicum diem oculus non claudebatur; at die sequenti & pluribus post septimanis quotidie uterque oculus claudi cæpit sæpius per diem, & frequentius quam antea. Ergo idem medicus ad utrumque brachium curat vesicantia adponi, eaque aperta conservat. At inde brachia sæpius per diem convelli cæperunt, tandem post aliquod elapsum tempus etiam pedes & crura convellebantur sæpius per diem, & longo tempore distorti & convulsi remanserunt pedes, ita, ut decumbere continuo cogeretur, neque pedibus insistere posset. Convulsiones erant *dolorificæ* primis septimanis, & postmodum *absque dolore.*

Tempore convulſionum ſui plenarie compos; vigebant omnes ſenſus & loquela, cum paroxysmum præſentiret, ſtatim ad ſellam ſe poſuit, donec abiret paroxysmus. Datus eſt cortex peruvianus absque ullo emolumento. Datæ pilulæ ex gummatibus ferulaceis nervinis, antihyſtericis &c., ſed pejus inde habuit, & ſtatim dejectum appetitum inde accepit. Rediit tandem uſus pedum, id quod parentes magnetismo adſcribebant. Nam Pater *Hell* & Dr. *Mesmer* eidem multos magnetes adplicuerunt, & uſum cereviſiæ prohibuerunt, interdicta ſevera diæta.

Manſerunt ergo ſolummodo convulſiones in brachiis & capite, quod concutiebatur tempore paroxysmi, & in omnem partem morabatur; oculi liberi perſtiterunt.

Datum tandem menſe Decembris prioris anni oleum animale Dippelii; at frequentior paroxysmus, & dejici appetitus cœpit, macrior evaſit & pallidior.

Ante quatuordecim dies conquæri cœpit de ardore in pectore, & tuſſicula, quam tamen jam diu habuit, ſed minus frequentem; guttur exſiccatum. Ante quinque dies de vertigine, dolore capitis ad veſperam, ardore conquærebatur. Sumſit decoctum ſpe-

ſpecierum herb. pectoralium. At hodie (die 31 Ian. 1775.) vocatus ſum. Majores ardores in pectore, ſubinde dolor punctorius in læva thoracis parte, reſpiratio brevis, difficilis; lingua alba, pectoris oppreſſio. Sitis, præcipue a meridie & noctu. Circa meridiem a paſtu, & veſperi præcipue genæ rubebant *intenſiſſimo rubore*, qualem ne quidem colore ullo facile imitaberis. Item a meridie facies ſummopere caluit; friguit tamen reliquum corpus, præcipue manus & pedes. Noctes inquietæ, & ſubinde anxietates ſubitaneæ; calores ſubito aſcendentes, & *quaſi ſuffocandus* eſſet ſtatim, idque noctu in lecto exiſtenti contigerit. Rubor, & quaſi ſcintillatio a meridie. Facta eſt venæ ſectio hodie (31 Jan.), cruſta ſumme phlogiſtica, craſſa, tenax, *labiis aſſurgentibus*, & *contracta*. Juſſus decoctum ſpecierum de althea cum flor. verbaſci, rhœad, bibere.

Pulſum ante venæ ſectionem inveni durum, celerem admodum, inæqualem, remittentem ſæpius, & intermittentem.

Die 1 Febr.

Nox quietior; minor in pectore ardor; pulſus melior, attamen ſubinde remittens, & intermittens.

Die

Die 2 Febr.

Nox minus quieta; tuſſis ſicca; ſubinde ad latus ſiniſtrum juxta mamillam ſiniſtram dolor punctorius; gravitas & oppreſſio paulo ſupra ſcrobiculum ſiniſtrorſum; Pulſus æqualis, ſat liber, celer; rubor genarum, præprimis genæ ſiniſtræ; appetitus. Facta a meridie venæ ſectione, cruſta contracta, aſſurgentibus labiis, craſſa, & ad modum, ut ante, libr. β. Deliquium repetitis vicibus poſt venæ ſectionem paſſus eſt. Sumit quater per diem duo vaſcula de althea, cubitum petens ſumit emulſum. Item

℞. Aquæ flor. rhœad.
— — ſambuc. āā. unc. iij.
Syrup. capillor. vener.
— — glycyrhiz. āā. unc. ij.
M.

Omni bihorio duo cochlearia.

Nitrum ſtudioſe non addidi, ob nervos pueri debiles, nimiumque mobiles.

Nota. Vix una, alterave vice poſt venæ ſectionem, & non niſi leviſſime convellebantur brachia.

Die 5 Febr.

Tuſſis ſicca; nullus dolor punctorius, niſi ſi validius tuſſiat; melior reſpiratio; adhuc

huc tam oppreſſio ſupra ſcrobiculum, licet minor. Rariſſimæ convulſiones.

Die 15 *Febr.*

Per duos dies nullæ convulſiones; nulla pectoris oppreſſio; nullus dolor punctorius: at ardor in parte medii thoracis, non continuus. Sitis adhuc perſeverat, & a meridie friget. Calores ſubitos non amplius experitur. Pulſus fortis, celer, plenus, regularis; ſomnus ſat bonus. Appetit. Hodie fauces habuit inflammatas. Utitur potu ſpecierum de althea, emulſis, diæta excarni, & ſequenti mixtura:

℞. Olei amygd. dulc. rec. unc. jß.
Vitell. ovor. nro. ij.
Aquæ veronic. unc. jv.
Syrup. diacod. unc. j.
M.
Omni bihorio duo cochlearia ordinaria.

Nota. Facile ranceſcit hoc medicamento, hinc in loco non calido aſſervetur, & in pauca quantitate præſcribatur.

Die 19 *Febr.*

Hodie vocatus ſequentia deprehendi: nudius tertius mane dolor ad latus dextrum abdominis paulo ſupra marginem oſſis iſchii. Dolor hic punctorius eſt, & attractum non

fert.

fert. Externe nil adparet. Exiguam plagam obtinet. Oppressio pectoris paulo major heri & hodie. Ad mamillam dextram dolores punctorii, non continui. In thoracis parte sinistra sensus rei intus se moventis, reptantisque. In medio pectore sensus impactæ cujusdam rei (als wenn etwas dort stecken bleibt) sitis toto tempore pomeridiano & frigus extremum eodem tempore. Somnus turbatus. Hodie & heri exiguus appetitus. Alvus libera. Heri ex integro convulsiones emanserunt, & universim rarissimæ sunt. Pulsus celer valde, intermittens & remittens, ac omni modo irregularis. Nuper (die 15 Febr.) pulsum inveni evolutum, fortem & magnum; hodie vero *contractum*, *durum*. Tussis sicca, frequentior.

℞. Aquæ florum rhœad.
Oxymell. simpl. āā. unc. jv.
Nitri puri dr. j,
M.
Omni bihorio duo cochlearia ordinaria, emulsis utatur, & thee præscripto, ac diæta excarni.

Fiat venæ sectio in brachio dextro ad unc. vj.

Die

Die 19. *Febr.*

Hoc die ſecta vena cruſta phlogiſtica contracta. A meridie bene ſe habuit; frigus pomeridianum non rediit, ſitis ut ante. Reſpiratio melior, dolor ſupra os iſchii dextrum minor. Nox paulo quietior.

Die 20. *Febr.*

Mane vocatus vidi pulſum adhuc inæqualem, at minus quam antea, leipothymiam aliquoties patiebatur. Ab aſſumpto oxymelle & nitro alvus bis mota eſt, & de ventriculo querebatur. Juſſi ut hodie a medicamentis abſtineat. Veſperi hujus diei omnia bene. Pulſus liber, plenus, æqualis, modice celer. Reſpiratio vix impedita. Appetitus. Modica tuſſis.

Die 21. *Febr.*

Hodie bibit decoctum graminis, ſcorzoneræ, altheæ & liquirit, quater de die duo vaſcula coffeana, cum duobus cochlearibus mixturæ ſuperioris. Veſperi tuſſis minor, pulſus ſubinde intermittens. Appetit, ſitis minor. Nullum a meridie frigus. Nullæ convulſiones.

Die 22. *Febr.*

Commode ſe habet.

Die

Die 23. Febr.

Hodie a meridie circa tertiam leipothymias paſſus. Sitis longe major, deglutitio paululum impedita. Fauces inflammatæ, earumque exſiccationem queritur, pungentesque ſubinde in gutture dolores. Pulſus ſæpe intermittens, celerque. Ad mamillam ſiniſtram pungentes dolores attamen non continuos, nec vehementes. Urina copioſiſſima, limpidiſſimæ aquæ inſtar, & frequenter miſſa. Non friget. Largius perſpirat.

Die 24. Febr.

Bene ſe habet. Sitis longe minor, fauces meliores. Pulſus mollis, æqualis, naturali celerior, appetit, alvus ſemper bona urina veſperi denuo copioſa, limpidiſſima. Heri & hodie ſequenti linctu utitur.

℞. Mucilagin. gummi tragacanth.
Aquæ roſarum extract.
Syrup. flor. rhœad.
— — de ſymphyt. _ unc. ij.

M. D. U. Sæpius per horam cochlear coffeanum lente deglutiat. Utitur decocto graminis & mixtura ſæpius deſcripta. Nudius tertius levis mane convulſio rediit; hodie vero nullæ couvulſiones.

Die

Die 25. Febr.

Sitis hodie non magna. Dolor lateris ſubinde remittit. Ad veſperam dolor capitis, non continuus. Nocte præcedente ſomnus bonus. Nullæ convulſiones.

Die 26. Febr.

Somnus ſat bonus. Circa meridiem palpitatio cordis per aliquot minuta. Nullus dolor capitis. Sitis & dolor lateris, ut heri. Nullæ convulſiones. Hucusque ſemper aliqua adhuc faucium inflammatio. Fauces hodie minus rubent. Pulſus naturali paulo celerior, æqualis.

Nota. Ad anamneſin etiam ſequentia pertinent: ſæpius pugnis cedebatur a præceptore in caput & faciem. Habuit per duos fere menſes fluxum materiæ purulentæ ex aure dextra, attamen parcum. Parentes ſuaſu chirurgi oleum olivarum & aquam tepidam aliquoties injecerunt. Inde fluxus ceſſavit. Poſt octo dies a ceſſante fluxu dolor ille capitis; qui morbo præſenti prælusit. Nunquam obnoxius fuit hæmorrhagiis narium. Sub uſu corticis tuſſiculam acquiſivit ſiccam, qua hucusque affligitur.

Die 27. Febr.

Somnus ſat bonu. Bene omnino hodie ſe habuit, & mane uti & a meridie ali-

quid tempus extra lectum transegit commodius quam unquam alias. Toto hoc tempore ab ultima venæ sectione in lecto fere semper fuit, quia extra lectum leipothymias nuper post venæ sectionem aliquoties passus fuit. Tussis per hosce dies non magna.

Præscripsi sequentia:

℞. Hb. Baccabungæ
Hederæ terrest.
Urtic.
Tarax āā m. j.

Contusas & conscissas infunde cum ℔ij. seri lactis. Dosis pro die.

Pro potu autem ordinario sumat decoctum graminis, scorzoneræ, altheæ. Vescatur vegetabilibus copiosis, pomis *crudis, tostisque*. Sumat quater per diem cochlear ordinarium mixturæ ex oxymelle & nitro.

Die 28. *Febr.*

Hodie fere tota die extra lectum fuit. Pectus fere semper a dolore liberum, pulsus minus celer, plenus, fortis.

Nota. Ad anamnesin etiam pertinet sequens: sub usu cucupharum & inunctionum spirituosorum in vertice capitis talem ibi loci teneritudinem acquisivit, ut locum illum (summus capitis vertex) exulceratum esse

da-

clamaret. At nihil poterat ab inſpicientibus detegi. Senſus iſte exulcerationis poſtmodum ceſſavit, & non rediit amplius niſi pectine aut manu rudius tangeretur, quo facto ſtatim paroxysmus convulſivus excitabatur.

Paroxysmum convulſivum uno alterove momento antea præſenſerat, ita, ut vix potuerit ſat cito ſedare aut decumbere, antequam veniſſet paroxysmus. Senſus paroxysmi venientis erat iſte, ac ſi ſcilicet globulus ſaltitando curreret ab infimo ventre verſus utrumque crus ad pedem usque, inde ſurſum per dorſum ad utrumque brachium, inde per utramque genam ad oculos.

A tribus diebus nullum convulſionis veſtigium.

Die 9. *Martii.*

Hucusque nunquam penitus defuit dolor lateris ſiniſtri thoracis, & faucium. A duobus diebus dolor paulo major, pulſus celer, duriusculus, tenſusque, at æqualis Sitis, genarum rubor. Hodie mane gravior pectoris oppreſſio, reſpiratio difficilis, dolor punctorius gravans, pungens, & urens. Secta vena in brachio ſiniſtro. Cruſta in ſanguine. Sumit decoctum radicum graminis, ſcorzoneræ, altheæ cum mixtura ſua

antiphlogiſtica & magna quantitate mucilaginis ſeminum cydoniorum & ſacchari lactis: Omnia meliora poſt venæ ſectionem.

Die 7. April.

Hucusque dolor mitis ad pectus, non continuus. Sputa habet ab aliquo tempore glutinoſa & cocta. Aliquantum emaciatur. Nullæ prorſus convulſiones.

Die 12. April.

Nullæ prorſus convulſiones. Sitis naturali major. Dolor & convulſio pectoris ſæpe, non continua, & vaga. Pulſus modice celer, ſubinde remittens, rariſſime intermittens, ſæpius celeritate inæqualis. Tuſſis & ſputa aquoſa, mucoſa, & aliqua cocta. Pergit in uſu diætæ vegetabilis, decocti & mucilaginis ſeminum cydoniorum cum ſacharo, nulla pectoris ſiccitas, nullus ardor, nullæ puncturæ.

Die 24. April.

Macies minor, pectus levius, ſubinde penitus liberum habuit. Ab aliquot diebus omni veſpere rigor ipſum invadit. Pulſus æqualis, celer, ſat fortis.

Die 28. April.

Pectus bonum, ſubinde dolores vagi ad attactum aucti in musculis thoracis. Rigores ceſſarunt. Carnibus paucis veſci in-

cœpit

cœpit jam nuper. Sumit ſequentibus diebus omni mane mediam libram lactis caprini recentis.

Per æſtatem emaciabatur, autumno ineunte tumor pedum, ſumma macies, ſputa copioſa, puulenta. Circa finem Octobris moritur.

HISTORIA MORBI XIV.

Die 31. *Jan.*

Sputum ſanguinis.

D. W*** 30 annorum, ante duodecim annos bis leve ſputum ſanguinis paſſus eſt. Dein acute laboravit, & uti videtur peripneumonice. Intra ſeptem dies judicabatur. Per decem dein annos nullum ſanguinis ſputum. Omni anno ſemel, ſubinde etiam bis venam ſecuit. A multis annis vita ſedentaria. Ante duos annos circa finem quadrageſimæ poſt aliquod exercitium vehementius ſputum ſanguineum ejecit, paucum & ſolummodo ſtriatum. Facta tunc eſt venæ ſectio, deinde eodem anno (1773) circa pentecoſten rediit idem ſputum ſanguine ſtriatum; facta etiam eſt venæ ſectio; ſex flascones aquæ Roitſchianæ bibit. Elapſis duobus menſibus poſt uſum aquarum catarrhum accepit, exiguum quidem, tuſſicu-

culamque dein graviorem circa medium Augusti, facta tunc est venæ sectio. Circa nonam Septembris ob pulsum plenum facta venæ sectio denuo. Crusta in sanguine tunc deprehensa; tunc vero dolor punctorius de nocte ab hypochondrio utroque versus latus sinistrum thoracis, exiguus quidem, attamen qui ipsum prohiberit eidem sinistro lateri incumbere, sumserat autem ante hunc dolorem punctorium, corticem peruvianum per tres septima nas omni die circiter drach. iij. Mense octobri ejusdem anni sputum sanguine striatum; facta venæ sectio tunc est; sanguis cum crusta. A mense autem Septembri incœpit uti lichene islandico, utebatur ejus infuso, cui addebatur lac, quater per diem duo vascula. Die nativitatis Christi noctu prægressis antea animi ægritudinibus leipothymiam passus est. Nunquam conquestus est hucusque de hæmorrhoidali affectione, nisi quod alvo difficili, dolore lumborum non magno sæpius laboravit. Nunquam ardorem aut oppressionem in pectore sensit. At sæpius raucedinem & siccitatem in faucibus experiebatur. Ab multis annis; scilicet ab anno 1754 dolore vehementi capitis laboravit, non juvit venæ sectio, juvit autem tabaca ex herbis, proliciendo copio-

piosum mucum. Inde tamen subinde dolor per annum rediit, quem tamen eadem tabaca sustulit. Ab annis circiter tredecim sæpius pollutiones sibi manustupratione caussavit. A semialtero anno abstinuit. At passus est frequentes nocturnas pullutiones ex illo tempore hucusque. Anno 1774 circa novum annum sputum mere sanguineum, fluidemque sanguinem rejecit non tussiendo sed excreando, ac si a scrobiculo cordis præveniret. Facta est venæ sectio. Circa finem ejusdem mensis eodem modo sanguinem rejecit, tunc non est facta venæ sectio. Sumpta frigidæ quantitate magna sistitur sanguinis sputum, & secuta mane alvus copiosa.

Nota, quod post sputum sanguinis statim binæ, etiam tres sedes copiosæ sequi semper soleant. Usus est tunc saccharo lactis per octo dies. Toto Februario nullum sanguinis sputum, & sat bene se habuit, optimusque tunc appetitus.

Nota, hoc autem mense copiosis pomis vescebatur.

Circa 14. Mart. venæ sectio præservandi gratia. Post 3 aut 4 dies a venæ sectione sputum sanguinis exiguum, uti fere semper exiguum esse solet. Sputum sanguinis autem primo floridum, dein sequentibus

diebus grumoſum, nigreſcensque eſſe ſolet cum glutine mixto. Nulla pectoris oppreſſio.

Initio Aprilis ob ophthalmiam facta in pede venæ ſectio. (Menſe Martio & nunc ſanguis cum cruſta). Poſt duas a venæ ſectione ſeptimanas ſputa tenacia, viridescentia, ſimul acceſſit raucedo poſt paſtum.

Circa finem Aprilis poſt mixturam pectoralem ſputum floridum, dein grumoſum ſumptis herbis pectoralibus ſputa pauciora, meliora.

Initio Junii ſputum floridum dein grumoſum ſumſit denuo thee pectorale.

Initio Julii valde exiguum, ſtriatumque ſanguinis ſputum. Sumſit thee pectorale.

Initio Auguſti iterum tenax ſputum copioſumque, quod hucusque continuat. Hoc menſe & ſequenti, licet egregius commotiones fecerit, tamen bene ſe habuit, non recordatur ſputi ſanguinei. Circa finem tamen Septembris tuſſis, raucedo poſt paſtum, & ſputa magis tenacia. Major poſt cereviſiam raucedo. Tuſſis menſe Octobris major majorque. Sumptis expectorantiibus fortioribus raucedo manſit, & poſt octo dies exiguum ſputum ſanguinis prægreſſa valida tuſ-

tuſſitatione. Alvus ſtatim repetita copioſaque uti ſemper poſt ſputum ſanguinis.

Circa medium Decembrem ſub actuali tuſſi validiore ſtriatum ſanguine ſputum, iterumque alvus repetita copioſa ſtatim a ſputo.

Circa initium Januarii 1775 ſputum ſanguinis copioſius paulo quam ante, ſed tamen exigua quantitate, non floridum, ſed grumoſum, dein ſucceſſit floridum & paulo copioſius, alvus ſecuta repetita copioſâ.

Initio Februarii, cum valde exiguum ſputum ſanguinis animadverteretur, denuo cum alvo copioſa, repetitaque facta venæ ſectio eſt. Cruſta phlogiſtica. Poſt ſex dies a venæ ſectione ſputum ſanguinis exiguum, grumoſum, non floridum. Ante ſputum ſanguinis alvum habuit difficilem.

Circa initium hujus menſis poſt venæ ſectionem ſputa paulo tenaciora. A venæ ſectione lumborum dolor minor. Subinde tamen puncturæ leves in pectore. Levis ſubinde pectoris oppreſſio. Ab aliquo tempore, ex quo medicamentis acidis, adſtringentibusque utitur, ſentit inter reſpirandum ſibilum ſtrepentem a ſcrobiculo cordis & inferius adhuc incipientem, & per pectus aſcendentem. Ceterum nulla ſitis, nullus capitis

dolor, & rariſſima ac exigua pectoris oppreſſio, nullus ardor in pectore, nulla ſiccitas pectoris, ſed quandam tamen *imbecilitatem ac infirmitatem (Schwæche, Müdigkeit)* pectoris hoc anno ſentire ſe ait. Attamen circa caput aſperæ arteriæ *ſenſum ſiccitatis* ſe habere ait. Appetit, dormit.

Utitur a 10ma Januarii 1775 ſpeciebus de althea, flor. verbaſci, rhœad. & glycyrrh. Sputa inde pauciora, minus tenacia, non amplius fuſca. Mucoſa cum pauco pure albo. Strepitus ſibilans rarior, nec amplius a ſcrobiculo oriri, ſed a medio pectore videtur. Utitur modo die 11. Febr. ſequentibus:

℞. Specier. H. H. pectoral.
— — de althæa āā unc. ij,
Flor. verbasc.
— — rhœad. āā m. j.
Glycyrrhiz. unc. ij.
Nitri puri dr. iij.

M. D. U. Quater per diem duo vaſcula coffeana.

Nota. 1) Alvus aliquoties ſoluta, copioſaque ſtatim poſt ſanguinis ſputum. Hinc ſpaſticum quid *ſimul adeſſe* ſub actuali ſputo ſanguinis videtur.

2)

2) Alvus plerumque difficilis & ſputa tenaciora præcedere ſolent paulo ante ſputum ſanguinis.

3) Adſtringentia, acidaque pectori ſanguiſputarum inimica.

4) Cortex nocuit huic homini.

5) Alvo plerumque adſtricta laborat, melius habet, ſi libera alvus ſit, eamque ſibi conciliat comeſtis pomis copioſis, crudis & coctis.

6) A cereviſia male habuit, non autem ab illa, quam *Hornerbier* vocant, cui cremorem tartari admixtum eſſe dicunt.

7) Omni fere menſe ſanguinis ſputum habebat priori anno. Hinc periodicum menſtruumque ſanguinis ſputum.

8) Plerumque primo die floridum ſanguinem ejecit, dein grumoſum & magis fuſcum, quod forte remanſit extravaſatum, dein tuſſiendo ſenſim ejectum fuit.

Die 1. *Mart.*

Hodie nullo prægreſſo ſymptomate peculiari ſputum unum alterumve ſtria ſanguinea ſtriatum, inde mox alvus copioſa ſoluta eſt; id quod ſemper poſt ſputum ſanguinis fieri ipſi ſolet. Longe parcius erat hoc ſanguinis ſputum, quam nuperum; & nuperum minus, quam tertium abhinc. Alvus

fa-

facilis huçusque, ex quo ſcilicet copioſe vegetabilibus & horæis utitur. Dolor lumborum mane, minor tamen, ac olim, & non continuus. Sputa pauca, flava, plerumque faciliora, nullum in toto alias corpore incommodum, niſi quod cum ſenſum haberet ſubinde, quam quis ab aqua gelida epota habet, ubi aliquid frigidi deſcendere per pectus ad hypochondrium ſiniſtrum videtur.

Utatur modo herbis vernalibus cum ſero lactis, deinde omni menſe circa 25. menſis diem curet ſibi adplicari hirudines.

℞. Herb. beccabung.
— — Urtic.
— — Hederæ terr.
— — Chærifolii āā m. ij.

C. C. infunde cum libr. ij. ſeri lactis ferv. per horam colatura fortiter expreſſa detur uſui.

Nota. Alvum ſemper apertam ſervet, & ſi uſu ſeri lactis & vegetabilium non emolliretur, ſumat drachmam magneſiæ nitri.

Die 16. *Mart.*

Circa hos dies ad meridiem ſputum ſtriatum ſanguine exiguo, atroque nullum in pectore incommodum nec ante, nec poſt ſputum. Sputa pauca, glutinoſa, aquoſa, raro difficilia. Bene ceteroquin ſe habet. Ad ves-

veſperam ejusdem diei hirudines ad anum adplicatur. Poſt ſputum ſanguinis non habuit conſuetas illas alvi dejectiones.

Die 5. April.

Hodie ſcreando ſanguinis filum grumoſum & nigreſcens ejecit; ſequebatur tunc pauxillum floridi ſanguinis.

Die ſequenti denuo grumoſi quid ejecit. At nec ante nec poſt ſputum ſanguinis ullum in pectore aut alibi incommodum ſenſit. Bene dormit, appetit. Lumbi non dolent. Tuſſis rarior, ſputa faciliora, ſubinde tamen tenacia albo flaveſcentia.

Nota. Videntur vaſcula quædam varicoſa in pulmonibus eſſe, quæ rupta ſanguinem grumoſum nigrumque in varicibus contextum fundunt, dein ſubſequentem floridum emittunt.

Die 8. April.

Pulſus mollis, ſed paulo celerior. Bene ceterum ſe habet.

℞. Tarax. rec. cum toto
Hederæ terreſtr.
Chærefol. āā q. ſ.

Ut expr. Succ. unc. vj. cui adde ſeri lactis libr. iß. Mane duas tertias abſumat, reliquum veſperi.

Die

Die 28. April.

Hirudines adplicatæ. Sanguis ad unc. decem detractus. Pectus liberum, non oppressum, sputa pauca, faciliora, coloris mane modice flavescentis, at alias albicantis. Sumsit postmodum succum cochleariæ & nasturtii aquatici ad lentorem sputorum magis solvendum. Sputa pauca & usu harum antiscorbuticarum minus tenacia. At

die 2. Junii

leve sputum sanguinis floridi, striati pauci prægresso prævio calore totius corporis. Dedi tunc cremorem tartari quotidie ea dosi sumendum, ut alvus bis terve inde moveatur.

Die 4. Jun.

Facta etiam est venæ sectio in brachio ad unc. viij. Sanguis non phlogisticus bonusque. Facta ad alvum derivatione cogito adhibere fumos ad pulmonem roborandum admittendos.

Die 11. Junii.

Ab octo diebus circiter circa mediam duodecimam meridie debilitatem & quasi leve animi deliquium patitur. Vesperi prægressa levissima horroris admonitione facies excalescere incipit, absque siti, absque lassitudine, doloreque capitis. Hesterna & hodierna nocte valde tussitavit, inquiete dormivit,

mivit, prægreſſa heri ad veſperam ſolito majori alterave accedente ſcilicet laſſitudine genuum. Sputa copioſiora, alba, modice tenacia. Suaſi, ut in ſumendis ſuccis pergat. Dein ut cremorem tartari *veſperi* ſumat circa quartam & quintam aqua ſolutum cum ſaccharo per modum limonadæ. Fors enim illud leviſſimum animi deliquium a ventriculi affectione per cremorem tartari mane ſumtum cauſſata provenit. Manet eadem indicatio, ſcilicet ſolvere, verſus alvum determinare, & demum fumo roborante pulmones firmare. Suaſi præterea, ut ad prandium & cœnam juſculis medicatis, ex herbis ſcilicet utatur.

Nota. Has alterationes acceſſiſſe mirum non eſt ex eo, quia hoc tempore, quo frigus ſubito æſtu excipiebatur, plurimi pleuritici, peripneumonici, febrientes, catarrhoſi, rheumatici &c. deprehendantur.

Die 30. *Junii.*

Nupernas illas alterationes brevi poſt amiſit, dextro lateri jam modo absque tuſſi incumbit, quod antea facere non potuit. Sputa per noctem pauciora, uti & de die, itemque tenuiora. Color ſputorum per noctem flaveſcit, ſubinde modice vireſcit, per diem albeſcit, plerumque facile prodeunt

ſputa.

ſputa. Strepitus & ſibilus adeſt rariſſime & tantum dum tuſſit, non autem inter reſpirandum.

Die 9. *Julii.*

Sputum leviter ſanguine florido, non ſpumoſo levi tuſſi ejectum circa meridiem & veſperi. Altero die exiguus ſanguinis grumus tuſſi ejectus. Nulla alteratio. Reſpiratio bona. Nulla incommoda ſenſatio in pectore. Tuſſis rara, ſputum paucum, tenue, & ut plurimum albeſcens. Pyramidum luſu absque noxa ſe ſæpius exercet. Dedi illi præter uſum cremoris tartari ſuffimigium roborans pulmonibus excipiendum. Suaſi conſtans, ſed moderatum corporis exercitium.

Nota. Sanguis per vaſa tepida & relaxata prodiens fumum roborantem &c. exigit.

Die 21. *Julii.*

Hodie paululum ſtriatum, non adeo floridum ſanguinem rejecit. Sputa pauca, facilia, boni utplurimi coloris. Nullum in thorace incommodum. Ante ſputum ſanguinis ſputa per aliquot dies paulo ſolent eſſe copioſiora. Ad mammillam ſiniſtram modiciſſimus dolor ſentitur. Pergat in uſu præſcriptorum.

Die

Die 30. *Aug.*

Heri mane dolor lumborum, hodie ſputum ſanguinis primo floridi, dein obſcuri, ſed exiguum, abſque ullo tamen thoracis incommodo. Intermiſit uſum fumi pulmonici, quem denuo ſerio inculcavi. Circa

Diem 10. *Sept.*

adplicantur hirudines. A medio Septembris utitur aquis Rohitſchenſibus, utetur aquis poſtea Stœcknizenſibus.

Die 17. *Novemb.*

Poſt initium Novembris ſanguinis ſputum adparuit exiguum. Pectus ceteroquin bonum. Sputa facilia, flava, viridia, utplurimum alba mucoſa. Utitur decocto lichenis, verbaſci, rhœad. & glycyrrhiz.

Die 1. *Jan.* 1776.

Circa 18. Nov. parum ſanguinis, ſputa pauca, mucoſa, flava; pectus liberum. Circa initium Decembris dolor punctorius in hypochondrio ſiniſtro. Facta venæ ſectio in brachio. Sanguis vix veſtigium cruſtæ in prima ſcutella exhibuit. Dolor minuebatur. Datum præterea unguentum de althea.

HISTORIA MORBI XV.

Die 11. *Febr.* 1775.

Peripneumonia biliosa.

Fœmina maritata annorum 39. Ante decem annos ultima vice peperit. Ante ſeptemdecim annos gemellos peperit, leviter inter ſe cohærentes, ubi territa convulſiones patiebatur. Convulſiones hæ incipiunt cum ſenſu frigoris in abdomine, qnod frigus adſcendere videtur ad guttur usque, ibi ſtrangulatio, labiorum contorſio, motusque inordinati brachiorum. Attamen ſui compos ſub paroxysmo, nulla oris ſpuma. Rediit ſæpius paroxysmus poſtmodum, præcipue ſi motus animi, terror, ira, pudor & confuſio præceſſit. Frequentiores paroxysmi tempore graviditatis.

Ante quinque annos hæmorrhagiam uteri paſſa eſt, non ſcio, ex qua cauſſa. Inde nnlla poſthac menſtrua hucusque. Frequens tamen ad hoc tempus usque lumborum dolor.

Ante quinque ſeptimanas catarrhus cum ſiti, rigoribus frequentibus, laſſitudine, dolore capitis, & dolore ſub tuſſi punctorio pectoris,

Die

Die 7. Febr.

Frigus validum verſus mediam noctem & omnia ſymptomata priora aucta.

Die 8. Febr.

Rigores frequentes, minores tamen per diem; noctu uti pridie frigus magnum.

Die 9. Febr.

Paroxysmus convulſivus ordinarius, qui tamen hucusque, ex quo non amplius parere ſolet, rarus admodum fuit, & quem ab anno non ſenſit. Noctu uti prioribus diebus frigus per horam fere.

Die 10. Febr.

Circa meridiem venæ ſectio, cruſta mediocris in ſanguine. Poſt venæ ſectionem ſputum ſanguinis floridum, non copioſum. Noctu frigus paulo mitius & brevius.

Die 11. Febr.

Mane vocatus vidi capitis dolorem, ſitim validam, linguam ex albo flaveſcentem, & impuram, os amarum, tuſſim validam, dolorem punctorium ad coſtas ſpurias lateris dextri & inferius, dolor lumborum magnus, urina ardens, ſtrangurioſa, urina recenter miſſa bilioſa fuit. Pulſus celer, non durus, debilis, ſputa mucoſa, ſanguine ſtriata. Nullus ſomnus. Facies rubet.

℞. Hordei mund.
Fol. altheæ.
— malv.
Flor. verbasc.
— rhœad. āā m. j.
Glycyrrhiz unc. jß.

C. D. U. Div. in p. ij. Bibat omni hora vaſculum cum duobus cochl. ord. ſequentis:

℞. Oxymell ſimpl.
Syrup. de althea.
— — rhœad. āā unc. iij.
Nitri puri dr. ij.

M. D. U.

Pro potu ordinario bibat decoctum dauci & radicis altheæ.

Detur quotidie clysma.

Die 12. Febr.

Nocte diem undecimum ſequente minus frigus. Die ſequenti circa meridiem lateris dextri dolor, qui non coſtas ſolum ſpurias, ſed & partem abdominis dextram pungendo, urendoque atrociter infeſtabat, mitigatus eſt, brevique disparuit; a meridie diarrhœa copioſa, alvus liquida, flava, viridis, mucoſa, ſubinde torminoſa. Quinquies circiter amara & viridia vomuit. Noctu frigus emanſit. Ter per noctem alvum poſuit eandem, quam antea.

Die

Die 13. *Febr.*

Hodie mane ſitim & dolorem capitis deprehendi uti nuper; reſpiratio difficilis, tuſſis, ſputa partim mucoſa, partim cocta, & ſanguine ſtriata. Urina non amplius ardet, colorisque eſt billioſi. Borborygmi, ſubinde tormina ventris. Exiguus lumborum dolor. Inter reſpirandum ſubinde ſtrepitus in pectore auditur. Dolor capitis valde magnus.

Nota. Peripneumonia aut pleuroperipneumonia, quam *Tiſſotus* bilioſam ſeu putridam appellat.

℞. Rad. Gramin.
— Scorzoner.
— Bardan. ℔ unc. iij.
Glycyrrhiz. unc. jß.

D. U. div. in p. iij. Singula coquantur per 1/2 horam cum libr. vj. aquæ, omni hora vaſculum tepide cum cochleare ordinario ſequentis.

℞. Oxymell. ſimplic.
— — — ſquillit. ℔ unc. jv.
Spiritus ſulphur. per camp. unc. ß.
M. D. U.

Pulſus celer ut nuper, non durus, elatior. Facies minus rubet, magis flaveſcit.

Die 16. Febr.

Tuſſis ut ante; ſputa pleraque coƈta, copioſa, multa mucoſa, tenacia; reſpiratio melior; ſitis paulo minor; borborygmi, ter quaterve per diem alvum ponit. Nullus ſomnus. Capitis dolor ferme ut ante. Facies ſubinde flaveſcit, ſubinde vero rubet. Hæc ex relatione. Syrupum ſumere recuſavit, ex eo, quod contorſionem ventriculi & calores inde acquirat, ejusque aliquoties ſputum ſtatim evomuit, os amarum. *Hæc ex relatione.*

℞. Spec. dialthea Fern. unc. vj.
Flor. verbaſci m. ij.

D. U. d. in p. iij ſingulam per 1/4 horæ coquat. Omni hora vaſculum.

Pro potu ordinario bibat aut limonadam, aut decoƈtum rad. dauci & altheæ, adhibeat etiam pediluvia.

Die 20. Febr.

Dolor capitis, uti & ſitis valde minuuntur. Os amarum. Tuſſis, ſputa copioſa, partim mucoſa, partim coƈta.

℞. Spec. H. H. peƈtoral. libr. ß.
Glycyrrhiz. unc. jß.

D. U. Diviſ. in p. iij. Singulam coquat per 1/4 horam cum libr. iij. aquæ. Omni

biho-

bihorio duo vaſcula coffeana cum duobus cochlearibus ordin. ſequentis.

℞. Oxymell. ſimpl.
— — — ſquillit.
Syrup. de Eryſimo āā unc. iij.
M. D. U.

Die 22. Febr.

Caput non dolet. Nulla ſitis. Tuſſis rarior. Sputa ut nuper, at minus copioſa. Reſpiratio bona. Pulſus ſanorum. Lingua adhuc alba, humida. Appetit, at ſapor aſſumptorum amarus. Urina facilis, copioſa. Alvus ſemper hucusque diarrhœica, at cum levamine, quinquies per diem. Somnus. At omni alterno die a meridie incipit a lumbis vago tempore frigus magnum per 1 aut 2 horas, frigentque ſimul extrema. At nullus ſub frigore dolor, niſi ſubinde puncturæ quaſi ſubitaneæ per verticem capitis, nullaque ſitis, nullus poſt frigus calor. Pergat in uſu priorum.

Nota. Pleuritis aut peripneumonia *bilioſa*, mucoſa, morbus hic primarius fuit, qui diſpoſitionem inflammatoriam levem ad initium conjunctam habuit. Indicatio eſt

1) phlogoſin tollere,

a) hac brevi ſublata danda *incidentia* & *purgantia* per alvum, per urinam, & expectorationem.

Die 28. *Febr.*

Quoad omnia bene ſe habet, præter aliqua adhuc ſputa, virium defectum, & levem ſubinde ardorem in abdomine.

℞. Aquæ laxat. Viennenſ. unc. vj.
Cremor. tartar. dr. iij.
Aquæ cinnamon. ſ. v. dr. j.

Sumat cras mediam partem, & poſt duas dies reliquam.

R. Specier. H. H. pectoral. unc. iij.
Herb. ſalviæ.
— — hyſop. āā m. j.
Glycyrrh. unc. j.

C. C. D. diviſ. in part. ij. Quater de die duo vaſcula cum duobus cochlearibus ſequentis:

R. Oxymellis ſimpl.
— — — ſquillit. āā unc. jv.

M. D. U.

His aſſumptis copioſæ eſflorescentiæ prurientes, & quaſi ſcabioſæ eruperunt in toto corpore. Datum decoctum eſt ex bardana, & lapatho &c. item purgans per epicraſin. Ceterum bene valet.

H I-

HISTORIA MORBI XVI.

Die 1. *Febr.*

Dispoſitio phlogiſtica

Perſona non maritata circiter 30 annorum. Coqua. Ab aliquot diebus de ſequentibus conqueritur. Calores ſubitanei ſæpius oriuntur. Sitit, attamen dum bibit, guſtum aquæ, ut antea, non habet. Lingua modice alba. Rubor faciei. Noctu ſubito ſæpe incaleſcit, fitque anxia, quaſi repente ſuffocanda. Tuſſit jam diu. Dolor ſubinde in utroque thoracis latere. Dolor capitis; gravitas brachiorum, & quaſi plenitudo ac turgur eorundem, uti & digitorum. Calores frequentes, ſubitanei cum intermixtis frigoribus. Pulſus fortis, durus, frequens. Facta venæ ſectione cruſta in ſanguine. Bibat decoctum ſpec. dialtheæ.

Fœmina 45 annorum pinguicula otioſe & laute vivens ſomnum habet inquietum, Noctu guttur circa caput aſperæ arteriæ exſiccatum queritur. decubitus in latere difficili, at facilis in dorſum. Pulſus celer, plenus, fiat venæ ſectio.

HISTORIA MORBI XVII.

Die 14. *Febr.* 1775.

Dolor rheumaticus.

Fœmina circiter 30 annorum. Annus eſt, ex quo peperit. Medio graviditatis tempore tumorem pedum accepit, album, veſperi detumentem, non dolentem. Peperit feliciter. Poſt tres a partu ſeptimanas pleuritide laboravit. Inde a medico curata fuit. At ab illo tempore tumor pedum non albus, ſed coloris partim cœrulei, partim rubri ſucceſſit cum dolore partium carnoſarum æque ac articulationum. Tumor potiſſimum pedes occupat, usque ſupra malleolos; dolor vero & ſuras & articulationem pedum ac genua; item brachia & manus totas, præprimis tamen articulationes, cubiti, manuum, digitorum. Dolor non continuus, niſi in paucis locis. In lecto mitior, aut omnino nullus dolor. Fœmina robuſti & ſanguine pleni corporis, lactat hucusque vegetam prolem, ſimulque menſtruis regularibus gaudet, absque incommodo prolis. Habet in utroque brachio tumores nucem moſchatam æquantes quatuor aut tres; mobiles infra cutem, duriuſculos & elaſticos, non dolentes.

tes. Tumor non retinet veſtigia prementis digiti.

℞. Rad. tarax.
— — lapath. acuti āā unc. ij.
— — ſarſaparill. unc. j β.
— — ſaſſafras unc. β.
— — glycyrrhiz. unc. j.

C. C. D. U. div. in p. ij. Singulam veſperi infundat cum aquæ fervid. libr. vj. mane ſequenti coquat ad remanentiam libr. jv. & colet exprimendo. Quater per diem duo vaſcula coffeana.

Adhibeat balneum brachiorum ex lixivio cum ſulphure coſto, & frictiones ante ac poſt balnum.

Die 2. Junii.

Bene per omnia ſe habet, excepto tumore aliquo crurum hydropico, qui per noctem diſperet.

HISTORIA MORBI XVIII.

Die 19. Febr.

Dom. de K*** 37 annor. Heri mane ſurgens dolorem accepit in coxa ſiniſtra per femur externum ad genu usque decurrens. Non febricitat. Vir obeſus, ſedentarius, carne admodum molli, laxaque. Per duos

Rheuma.

fere

fere ſeptimanas continuo ſedet immotus, ob negotia litteraria urgentiora. Victus lautus, copioſus. Sæpius prioribus annis alterius coxæ dolores, uti & lumbaginem expertus non febrilem, curabatur magneſia nitri cum lapidibus caucrorum, & potu diaphoretico.

Indicatio eſt ſerum copioſum per vitam hisce diebus ſolito plus ſedentariam & forte accedente mane perfrigeratione, collectam, vicaria evacuationa eliminare, alvo, urina, ſudoribus.

℞. Magneſiæ alb. nitri ſcrup. ij.
Rhei electi gr. xv.

℞. Pulveres tales no. IV. Mane & veſperi unum ſumet.

℞. Radic. bardan. unc. iv.
— — tarax.
Sarſaparill. āā unc. j.
Glycyrrhiz unc. ij.
Semin. fœnic. dulc. dr. iij.

M. D. U. Tertiam partem coquat cum libr. V. aquæ per hor. Quater per diem duo vascula *calide*.

℞. Empl. de galban. croc.
— — oxycroac. āā unc. jß.

Extendatur ſuper alutam magnitudine duarum palmarum; ad coxam adplicetur.

Die

Die 21. Febr.

Bene ſe habet per omnia. Aliquoties per diem alvum ponit. Rari & exigui vagique per femur & artus dolores. Repetat pulveres, & omni mane unum ſumat, pergatque in uſu decocti.

Die 30. Mart.

Bene per omnia ſe habuit, nulli poſt, hac dolores, At vero 30 Marti denuo dolores ibidem, vagi tamen & mitiores, quam nuper. Repetantur priora. Procuret ſibi ceratum ſericum anglicanum (Wachstaffet, engliſcher Taffet) & continuo nudo corpori ad lumbos & coxam adpoſitum portet.

HISTORIA MORBI XIX.

Die 21. Febr.

Colica hœmorrhoidalis.

Monachus Capucinus 58 annorum; ſemper antea ſanus; jam ultra viginti annos munere concionatoris fungitur. Anno 1765 convelli cepit os, & in latus ſiniſtrum trahi; ſimul immobilitas crachii totius ſiniſtri, ſenſus reliqui integri. Facta venæ ſectione eaque repetita bene ſe habuit. Inde eo anno & ſequenti frequentes externorum ſenſuum omnium abolitiones, quaſi apoplexia tangendus, itemque convulſiones brachiorum expe-

experiebatur. Sequentibus annis rariores expertus insultus est, eosque etiam redeuntes parvi fecit.

Anno 1771 gravius rediere, rediit aliquoties hæc sensuum obfuscatio, convulsiones brachiorum, item una alterave vice immobilitas manus, brachiique sinistri. S. V. aliquoties; denuo commode se habere cepit.

Ante septendecim menses medicus quidam, cui paroxysmos hos convulsivuos conquerebatur, præscripsit illi corticem cum marte. Per octo aut decem dies omnino bene se habuit. At postea somno carere cepit ita, ut integras noctes insomnes transigat. Sumsit opiata sæpius, at inde nullum prorsus somnum abquirit. Subinde liquor anodynus mineralis Hoffm. in aqua sumtus tribus consequentibus noctibus somnum conciliavit. At per sequentes dein noctes non profuit. Solet quotannis bis venam secare; semel hirudines adplicuit cum levamine omnium symptomatum; quotannis balneo badensi utitur, absque emolumento, sed nec notabile detrimentum patitur. Asam fœtidam, camphoram, castoreum, omnisque generis nervina hucusque sumsit, at absque emolumento, licet noxam inde notabilem non animadvertat.

Anno

Anno 1771 dum rediret immobilitas brachii ſiniſtri, ſenſuum nihilominus reliquorum integritas adfuit. Sed ait, ſibi viſum eſſe, ac ſi tota calvaria, qua cerebrum continetur, ſibi deeſſet, adeo nullus illius partis ſenſus adfuiſſe ſibi dicebat. Modo queritur de flatuoſis continuis eructationibus, de aſcenſu rei cujusdem a ſtomacho verſus pectus medium, non dolorifico, ſed quem verbis exprimere non potuit, Hæc autem ſymptomata ait ſibi rariora eſſe, ſi colici dolores adſint, quos hoc anno ſæpius prima vice experiri cepit. Dolores hi colici infimum abdomen verſus inguina utrinque tendendo, occupant. Proſunt enemata. Alvus fere ſemper dura, rara, difficilis, & globulis meris, duris, conſtans.

Pruritus circa anum, at nulla tubercula. Urina, noctu præcipue, frequens valde, limpidiſſima, inſtar aquæ, & copioſiſſima. Appetitus vegetus, pulſus fortis, plenus, tardus, æqualis. Genua fere ſemper fracta, laſſaque. A purgantibus ſalinis non levatur. Imo potiones purgantes ſæviores ipſi dolores poſt earum operationem faciunt. Per aliquot dies omni mane hanc colicam habet. Heri ab alio medico facta venæ ſectio in brachio, a qua mitius habuit. Hodie

die potionem purgantem ſumit. Quaſi ſubitos terrores queritur. De animi dejectione, quæ in hoc morbo adeo ſolennis eſt, interrogatus reſpondit, ſe non eſſe unquam melancholicum, ſed in voluntatem Dei omni modo reſignatum (credo pietate ſua inſigni, & habituali illa reſignatione in voluntatem Dei illum vincere, aut potius præpedire melancholiam, animique dejectionem huic morbo adeo familiarem.) Vertigo nulla, nullus capitis dolor, nullæ tenſiones in nucha. Dolores colici vagi, ſcindentes, mane & veſperi ante ſomnum. Nulli unquam lumborum dolores.

Indicationes ſunt nervos ab humorum orgasmo concitatos componere. Hinc conveniunt.

1) hirudines

2) alvum lubricantia, uti ſunt tamarindi, ſerum lactis, pulpa caſſiæ. Pruna, diæta vegetabilis, & magneſia alba nitri.

3) Omittat omnia aromatica, ſic dicta nervina, purgantia, ſtimulantia.

4) Emulſa, ſerum lactis & copioſa vegetabilia.

5) In colica cataplasmata emollientia, clyſmata.

Die

Die 23. Febr.

Nudius tertius potionem purgantem ſumſit, at heri & hodie ſoliti dolores colici redierunt. Suaſi herbas vernales cum ſero lactis, quarum uſum tamen aliquamdiu differt ob negotia earum uſum prohibentia. Præſcripſi tamen ſequens emulſum

℞. Semin. melon.
— — cucum.
— — papaver alb. āā unc. β.
Amygdal. dulc. dr. ij.
f. l. a. emulſ. libr. iij, cui adde
Syrup. papav. unc. j β.
Nitri puri dr. β.

M. D. U. Toto tempore veſpertino & ante ſomnum variis hauſtibus abſumat.

In anamneſi mihi retulit, quo tempore prima vice paralyſin manus & brachii ſiniſtri paſſus eſt, omnes ſenſus & motus reliquos fuiſſe integros, & ſub ipſa venæ ſectione, ſecunda patella ſanguine repleta, motum fuiſſe reſtitutum.

Die 3. Martii.

Hodie prima vice uſus eſt ſero lactis cum herbis vernalibus, at circa meridiem colici dolores primo ad infimum abdomen, dein circa umbilicum; alvus frequens, cruenta teneſmoidea. Veſperi vocatus adpli-

cui cataplasma ex ſpeciebus emollientibus ad abdomem, clysma emolliens, decoctum ex althæa, malva ex quo omni hora duo vascula bibenda erant.

Noctu dolores mitiores, alvus frequens aquoſa & cruenta. Pulſus paulo naturali celerior, ſitis. Poſt mediam noctem exiguus dolor, & ſomnus, ita tamen, ut omni hora ſurgat ad alvum ponendam.

Die 4. Martii.

Circa quintam mane nulli dolores. Rara alvus, ſed adhuc aquoſa & cruenta. Clysma emolliens ex decocta altheæ & oleo lini cum vitello ovi heri datum retinere non potuit. Dedi ſequens.

℞. Semin. cucum.
— — melon.
— — Papaver. alb. āā unc. β.

f. l. a. emulſio cum libr. jβ aquæ communis, cui adde.

Syrup. diacod.
— — papav. alb. āā unc. ij.

M. bibat omni hora vaſculum. Pro potu communi bibat decoctum altheæ. Veſperi ſumat paregoricum.

Nota. In doloribus colicis heſternis, antequam alvus cruenta ſequeretur, frater apothecarius duo illi clysmata eccoprotica de-

dedit; at vix adplicari potuit ob ſphincteris conſtrictionem & retrotractionem. Dolores aucti a tali clysmate. Profuiſſet potius enema oleoſum. Adplicabuntur hirudines, ut primum haberi poſſunt.

Die 5. Martii.

Veſperi heri ſumſit unc. j. ſyrupi diacod. cum gt. viij liquoris anod. min. Hoffm. Somnus ſat bonus; ſedes per noctem binæ, leviter cruentæ. Sumſit hodie eandem emulſionem. Dolores nulli, niſi rariſſime, iique leves. Hodie nulla alvus; appetit. Sumat veſperi heſternum paregoricum. Cras autem ſumat ſequens.

℞. Semin. melon.
— — amygdal. dulc. āā unc. β.
— — amarar. no. iv.
f. l. a. emulſio lib. ij. cui adde
Sachar. Thom. unc. j β.
Nitri puri ſcrup ij.
M. Doſis pro die, variis vicibus abſumenda.

Die 6. Mart.

Sumpto quamvis paregorico tamen nullus ſomnus, niſi leviſſimus & paucus admodum. Mane dolores colici graves circa horam decimam ad tertiam usque pomeridianam circa umbilicum & ſupra annulum ab-

dominis ſiniſtrum. Tumor ibi loci exſtabat magis, dolor ſubinde in ipſum femur pertingens, ex abdomine flatus concluſi & borborygmi. Non ſitit. Pulſus modice celerior, fortis, tenſus; caput non dolet. Sumſit ſequentem mixturam, item heſternum emulſum.

℞. Aquæ menth. unc. iiij.
Olei amygdal. rec. & frigid. preſſ. ac vitello ovi ſubact. unc. iij.
Syrup. diacod.
— — menth. āā unc. j.
M.

Sumat omni hora cochlearia duo, & bibat; adplicetur cataplasma ad abdomen & enema oleoſum.

Nota. Enema retinere non potuit. Veſperi nulli dolores. Bis alvus pauca & ſanguine ſtriata.

Die 7. Mart.

Somnus vix ullus. Nulli dolores. Spaſtica contractio brachiorum exigua & ſemel tantum. Mane borborygmi aliqui, flatusque concluſi. Hinc inde doloris admonitio. Ante meridiem urina cum ſedimento albo rubelloque, farinaceo, furfuraceoque. Veſperi urina aquoſa. Non ſitit. Appetit. Pulſus bonus. Repetitum emulſum. Repetita mixtura additaque ei eſt tinctura ſuccini dr. j.

Die

Die 8. Mart.

Somnus vix ullus. Omnia ut heri. Paulo tamen major doloris admonitio. Repetita mixtura, addita ei eſt dr. jβ tincturæ ſuccini, Heri & hodie alvus nulla. Detur clysma. Hodie præter mixturam ſumſit omni hora vasculum decocti ſequentis.

℞. Specier. dialth. Fern, unc. vj.
Fol. Altheæ.
Flor. verbasci āā m. j.

M. Manipulum pro menſur. j. aquæ per 1/4 horam coque.

Nota. Sequentia pertinent ad anamneſin. Medicus quidam ei olim præſcripſit ſalia ob alvum obſtructam, at inde anxietas ſive levia amini deliquia (Uibelkeiten) item ſenſuum confuſio, eructationes ſingultuoſæ admodum frequentes & moleſtæ, & tremores artuum vigiliæque magis inde affligebant. Alius præſcripſit aquas egranas, at pariter quoad omnia hæc pejus habuit. A venæ ſectionibus in pede pariter pejus habuit. Melius profuerunt venæ ſectiones in brachio. Pilulæ ex camphora & nervinis præſcriptæ ab alio quoad eructationes, tremores, ſenſuum confuſiones profuerunt, nam hæc omnia aliquantum minuebantur; at vigiliæ permanſerunt. Rotulæ ex caſtoreo,

reo, item liquor anodin. min. H. per tres quatuorve noctes vesperi sumpta profuerunt; sed ulterior usus nil profuit.

Opiata ipsa somnum non fecerunt, at mentem effecerunt serenam, & hilarem. A Caffee post prandium pejus non habuit, imo post eum somno pomeridiano uti potuit.

A prima hirudinum applicatione nil levaminis habuit. Post secundam applicationem earundam omnino quoad omnia bene se habuit. At balneo dein usus est; inde omnia rediere, exasperataque, magnusque artuum per intervalla tremor accessit,

In itinere, item in rusticatione bene per omnia se habuit.

Pilulæ ex sapone veneto & galbano ac massa pilularum Ruffi ob alvi segnitiem præscriptæ minuebant symptomata, at non vigilias.

Metum apoplexiæ habet ingentem, atque pusillanimitatem huic morbo familliarem sæpius patitur.

Ferme a tringintis annis herniam ventralem habet, paulo supra annulum sinistrum abdominis, quæ lente increvit, at bona ligatura utitur.

Ha-

Habet itidem a totidem fere annis tumidum durumque testiculum, indolentem, utiturque suspensorio.

Heri & hodie subinde pruritum ad anum sentit. Urina ante meridiem crassa sedimentum posuit rubellum.

Die 9. Mart.

Somnus bonus; appetit. Flatus pauci, liberique. Urina mane ruffa. Utitur hodie solo decocto spec. dialth. fol. alth. & flor. verbasci omni hora vasculum. Cras serum lactis cum herbis incipiet.

Somnus bonus. Non est usus sero lactis, sed solo decocto. In tertium diem alvus nulla. Mane bene se habuit. A meridie assumpto suppositorio circa horam primam scybalum durum ejecit. At simul accessit dolor colicus. Datis binis oleosis enematibus secuta alvus, flatusque, & dolor evanuit circa quintam. Urina mane ruffa, vesperi *vere biliosa*, id est *minus transparens, sed levissime flocculenta & admodum flava.* Universim urinam paucam misit hodie, licet multum biberit. Dolor colicus fuit in loco hernioso. Abdomen ad attactum nullibi dolet. Alvus non fuit introtracta. Pulsus bonus, paulo tensus tamen tempore dolorum. Alvus ter mota.

Nota Urina nuper ſedimentoſa & hodierna bilioſa; item mucus albus tenax nuper copioſe per alvum egeſtus. Diæta pinguis & butyracea oſtendunt junctam ſimul eſſe *colicam bilioſam.* Hinc

℞. Seri lactis tamarindinat. libr. ij.
Liquor terræ fol. tart. dr. iij.
Syrup. menth. unc. jß.
M. Omni hora vasculum tepide.

Sumat ſimul bis terve per diem drachmam cremoris tartari in juſculo defœcato carnium.

Senſit pruritum ad anum. Stria ſanguinis in alvo. Urina hodie parca.

Die 10. *Mart.*

Somnus bonus. Hodie bis alvum poſuit paucam, flavam, & modice mucoſam. Frater laicus loco ſeri lactis tamarindinati heri præſcripti dedit ſerum lactis cum oleo lini. Urina pauca, hodie mucum ad latera vitri exhibens, flocculenta & bilioſa. Circa ſeptimam veſperi dolor per intervalla rediit. Ardor circa anum. Hodie appetiit. Utitur decocto ſpecierum dialheæ &c.

Die 11. *Mart.*

Noctu ſomnus interruptus. Sumſit heri a meridie, item hodie ante meridiem ſerum lactis tamarindinatum cum cremore tartari.

A meridie dolor colicus rediit. Ante dolores colicos alvum posuit paucam & semel. Dolor colicus clysmate oleoso sedatus, bisque inde alvum bonam posuit. Urina sanorum toto die. Appetitus.

Nox bona. Urina bona. Heri & hodie pruritus ad anum. Colica videtur esse composita, scilicet ex colica biliosa & hæmorrhoidali.

Die 14. Mart.

Die 12. & 13., scilicet heri, semper a meridie circa horam tertiam dolor colicus. Abdomen attactum fert. Borborygmi. Suasi heri, ut nullum prandium sumat. Nulli per hos dies remediis usus est. Dolores dato clysmate sopiuntur & cessant statim. Urina utplurimum modo sanorum instar, subinde tamen paulo magis ruffa. Somnus sat bonus. Hodie mane hirudines ad anum positæ; emansit a meridie consueta colica. Hoc autem die omni hora sumsit vasculum jusculi bubulini cum cochleari ordinario olei lini; pro prandio nihil comedit. Somnus bonus. Ceterum semper appetit, non sitit, sapor non depravatus. Pulsus bonus. Alvus aperta, libera.

Die 15. Martii.

A meridie dolor colicus circa quartam pomeridianam. Sumſit oleum cum juſculo bubulino uti heri, at prandium comedit, contra, ac ego ſuaſeram. Urina utplurimum ſana, aliquoties tamen ruffa magis fuit, item ſubinde cum nubecula ſubſidente. Juſſi, ut cras oleum lini cum juſculo bubulino ſumat, prandio abſtineat, & hora ſecunda pomeridiana ſequentes pilulas accipiat.

℞. Maſſæ pilul. de cynogloſſ. dr. β.

F. pil. No. IX. Sumat pilulas tres pro doſi.

Alvum hodie ter poſuit pultaceam, exiguam, ſponte.

Indicatio eſt, ſpasmos oleoſis & opio lenire. Aperta interim alvus per oleum ſervetur. Cauſſa videtur ſita eſſe primo in turgore vaſorum ſanguiferorum inteſtina perreptantium, ſecundo in nimia irritabilitate nervorum abdominis.

Die 16. Mart.

Hodie mane urina ſemel magis flava naturali. Reliqua vero citrini coloris. Sumſit pilulas tres de cynogloſſa hora ſecunda pomeridiana. Nullus dolor colicus, ſubinde exigua admonitio. Nocte ſequente ſomnus bonus. Appetit. Non ſitit. Alvus nulla.

Die

Die 17. *Mart.*

Urina matutina ſedimentum ex albo rubellum & furfuraceum poſuit, cum furfutibus hinc inde adhuc ſuſpenſis, muco lateribus vitri adhærente. Non eſt facta limpida. Poſtmodum, uti etiam a meridie, toto tempore urina citrina. Alvus nulla. Sumptæ pilulæ, dolor nullus. Exigua ſubinde admonitio. Hac veſpera incipit ſequentibus uti:

℞. Extract. flor. chamomill. ſcr. j.
— — corr. peruviani dr. β.

M. f. bolus, fiant autem tales No. VIII. Conſpergantur pulvere florum chamomillæ. Mane & veſperi unum ſumat.

Nota. Sunt, qui opium reprobant in gravioribus hypochondriacorum ſymptomatibus, interque hos eſt Cl. *Tralles*, magnus certe practicus. At pace clariſſimi hujus viri dixerim, dari quædam ſymptomata, quæ unice opium exigant. Dejectus ventriculi & inteſtinorum tonus ſæpiſſime jungitur malo hypochondriaco, quo in caſu opium certe noceret. At quid in mali hypochondriaci ſtatu faciendum, ubi appetitus viget, imo ubi voracitas adeſt, & omnia optimæ concoctionis ſigna palam ſunt, quid inquam mihi

hi tantopere timeam ab opio, etsi aliunde tantopere contraindicato?

In anamnesi relatum est, vigilias pertinaces nec opio vinci potuisse. Patet autem ratio, quia hæ vigiliæ (quas ab usu corticis cum marte inductas sibi esse ajebat) a plethora partium superiorum, capitisque fuere productæ, atque a rapidiore per encephalon sanguinis motu; fors alvus magis adstricta laboravit sub usu corticis, hinc plethora partium superiorum orta.

Die 18. *Mart.*

Nox præcedens bona, somnus per tres noctes valde bonus, absque insomniis, & tranquillus. Mane urina obscure flava, fere uti oleum lini. Toto die leves admonitiones subinde doloris colici, sed solum momentaneæ. Borborygmi. Ad vesperam urina straminei coloris. Noctu & mane per hos dies, quibus pilulas adhibuit opiatas, flatus *ανω* & *κατω* libere prodeunt.

Nota. Ad sublatam hirudinibus & nupera venæ sectione plethoram, opium, alias absque effectu datum, nunc & spasmos sopit & somnum blandum invitat. Convenit hoc cum observatione *Sydenhamiana*, ubi opium ob orgasmum humorum & plethoram effectu caruisse dicitur.

Die

Die 18. Mart.

Sumſit hucusque mane & veſperi bolum ex extracto corticis & chamomil., veſperi ſumit duas pilulas ex maſſa pilularum de cynogloſſa. Urina ſanorum, ſomnus plerumque bonus. Dolores nulli, ſubinde tamen levis admonitio. Alvus libera.

Tempore verno, aut incipiente æſtate uſus aquis ſpadanis. Septem lagenas cum lacte ſolummodo hauſit; integre convaluit. Medio menſis Octobris ob pruritum frequentiorem ad anum adplicuit hirudines. Nocte proxima ſomnus bonus, at noctibus ſubſequentibus ſomnus aut nullus, aut exiguus. Interdiu vero flatuoſæ & ſonoræ eructationes, uti olim. Sumere cœpit circa initium menſis novembris aquas Stœcknizenſes.

Maximas & frequentiſſimas eructationes flatuoſas, borborygmosque experiebatur, circa horam quartam a meridie. Profuere aquæ Stœknizenſes.

HISTORIA MORBI XX.

Die April.

Puella Bavara 13 annorum. Variolis & morbillis rite olim defuncta. Sexto ætatis anno tuſſi convulſiva laboravit; vomuit tunc ſub

Plethora.

ſub finem tuſſis ingentem muci in globum collecti, & ſperma ranarum referentis, ac in terra tremuli copiam. Ex illo tempore ſæpius hucusque vena ſecta eſt, at vertigines, & ſpasmus ventriculi. Ante anni quadrantem tubercula hæmorrhoidalia apparuerunt, modiceque fluxerunt. Pruritus ſubinde ad anum, alvus tarda, omni ſecundo aut tertio die. Dolor lumborum, ſpinæ dorſi; tractiones nuchæ, occipitis, ſummaque perſæpe teneritudo in vertice capitis, ita, ut nequidem attactum fere poſſit. Ceterum tota ſuperior calvaria ſæpe dolet, ſenſumque nimiæ teneritudinis facit. Vertigines mane præcipue, itemque veſperi, oculorum ſive potius palpebrarum turgor. Facies plena, rubra; corpus plenum. Appetit, attamen ſubinde appetitus languet. Sitit ſubinde. Reſpiratio bona in quiete, at difficilis & cum cordis palpitatione in motu paulo majori. Motum moderatum absque ullo incommodo fert. Calidum cubiculum ferre non poteſt, vertiginoſa enim fit, & quaſi deliquium & anxietates patitur. Turgor manuum & digitorum, quos mane præcipue in pugnum contrahere non poteſt. Somnus turbatus inſomniis terrificis, ſpaſticæ brachiorum convulſiones, at leves, & ſubinde tantum.

tum. Dolor ventriculi mane, item ſi diu jejunet, & trihorio aut quadrihorio poſt paſtum. Dolor *contorquens*, qui ipſam cogit, corpore antrorſum incurvato eſſe, quamdiu dolor affligit. Urinam large quidem mittit, bonamque, at diu exſpectare debet, donec prodeat, ita, ut quaſi *tenesmum ad matulam* experiatur, at prodiens ſemel, inimpedite & absque dolore uno filo profluit. Nulli dolores colici.

Nota. Diæta vegetabilis. Serum lactis cum herbis. Venæ ſectio, & demum ſerum lactis tamarindinatum cum nitro. Motus corporis frequens, at moderatus.

Die 20. *April.*

Quæ nuper ſuaſi, neglecta penitus ſunt. Nondum habuit unquam menſtrua. Facta eſt hodie venæ ſectio in brachio, ſanguis cum cruſta.

Die 26. *April.*

Ventriculus poſt venæ ſectionem non dolet amplius. Modica tantum vertigo. Suaſi uſum herbarum & ſeri lactis.

HI-

HISTORIA MORBI XXI.

Die 30. Mart.

Spasmi a coitu.

Sacerdos 43 annorum, ſanus antea, priori æſtate per ſex ſeptemve ſeptimanas una nocte quotidie ter quaterve coitum celebravit. Senſit deinde reſpirationem impeditiorem, & relegata concubina manſit debilitas crurum, & ſomnus interpolatus. A menſe Decembri coitu abſtinet. Circa finem Januarii affectio quædam peripneumonica ipſum ορθοςταδην tamen infeſtabat. Secta bis conſequenter vena, ſanguis cum cruſta. Pauciſſimus inde hucusque ſomnus, debilitas & vaccillatio genuum, frigus manuum pedumque, quem calores mox excipiunt, vago more. Nunc frigore, nunc calores in lumbis, ventreque vago experitur. Non ſitit. Emaciatur, præcipue ad lumbos. Urinam, nocte præcipue, copioſam admodum mittit, ſanam & citrinam. Tractiones in nucha, & talis ſenſus, ac ſi graviſſimum collare humeris portaret. Appetitus optimus, imo vorax. Subitaneæ pectoris oppreſſiones iterum diſparentes. Senſus ſiccitatis ſubinde, & uredinis in pectore. Pulſus plenus, non durus, modice celer. Alvus quotidiana, caprina.

prina. Atra ſæpe melancholia. Vir magnæ ſtaturæ, habitus paulo ſiccioris, robuſtique. Olim miles.

℞. Spec. de althea vulg. diſp. nov. libr. β.
Flor. verbaſc.
— rhœad. āā mj.
Coquat mj. cum ℔iij. per 1/4 hor. Quater per diem duo vaſcula aſſumendo cum vaſculo lactis recentis.

℞. Cort. peruvian. pulv. ſcr. ij.
Limat. ferri non rubigin. gr. xv.
M. f. pulv. & d. talis No. XXIV.
Ter de die pulverem.

HISTORIA MORBI XXII.

Die 5. April.

Peripneumonia chronica.

Dom. F***, per quinque annos maritata, ter peperit. Menſe Aprili prioris anni ultima vice peperit feliciter, ſed ſecundinæ difficulter abivere. Toto exinde tempore menſtrua regularia, ſed ſubinde, præcipue per hos ultimos tres menſes ſolito largiora, cum doloribus abdominis. Siccitas pectoris, & ſenſus exulcerationis in pectore, major minorve. Priori æſtate ſputa pauca ſanguine ſtriata ejecit. Dolor capitis ad frontem ſubinde atrox, item in occipite & nu-

cha. Tuſſicula plerumque ſicca. Appetit, dormit. Os ſiccum, de nocte præprimis; alvus omni biduo dura, pruritus ad anum. Ventriculi dolores, contorquentes ſubinde. Paroxyſmi hyſterici cum tremore artuum & ſuffocatione, doloreque ad claviculas tanto, ut attactum ferre non poſſit. Urina frequens, copioſa, aquoſa. Sitis pauca. Continuum frigus in utroque genu; dolores lacerantes, itemque formicationes in cruribus per ſuras. Ante annum venæ ſectio, & thee pectorale morbum mitigavit. Alvum ante annum faciliorem reddidit ſumpta magneſia & ſale polychreſto; at inde frequentiores paroxyſmi hyſterici excitabantur. Menſtrua boni coloris, per octo a menſtruis dies mucus abit rubellus. Etiam ante tres menſes aliquid ſanguinis floridi ſcreando rejecit. Ardor pectoris præcedebat ſanguinis ſputum. Modo ſenſum exulcerationis in pectore habet.

℞. Spec. dialth. vulg. d. n. unc. iij.
Flor. verbaſc.
— rhœad. āā mj.

M. D. U. Mj. cum libr. ij. per 1/4 horam ter de die duo vaſcula cum vaſculo lactis rec.

℞.

℞. Lapid. cancr. dr. iij.
Sapon. venet.
Rhei.
Magnes. nitri āā dr. j.
Sem. fœnicul. dulc. scr. j.

M. f. pulv. dandus in pyxide. Ter de die cochlear coffeanum, quando scilicet decoctum sumit.

Nota. Ab anno vino abstinet, cujus usus ardorem pectoris ipsi caussat.

Die 9. *April.*

Heri vesperi frigore totius corporis correpta, per aliquot horas postmodum caluit. Nox inquieta, & tremor convulsivus brachiorum, attamen absque suffocatione. Dolor capitis validus erat ad frontem. Per omnes graviditates fuit obnoxia paroxysmis hystericis. Musculi thoracis omnes ad attactum dolent, dolet pars media thoracis usque ad dorsum, scilicet mediastinum. Pulsus celer, fortis, plenus. Temperamentum non laxum, sed potius delicatum.

Ad anamnesin pertinet, quod sæpius terreatur, item quasi aqua frigida perfundatur, aut subito in sudores solvatur. Item tussicula ex irritatione ad caput asperæ arteriæ. Cras exspectat menstrua.

Nora. Stimulus *excitans* paroxysmos hyſtericos videtur eſſe plethora pulmonum, aut difficilior ſanguinis tranſitus per pulmones.

Ait guttas ſpirituoſas ante annum ipſi datas profuiſſe. Profuiſſe item in affectione pectoris poſt primum ſputum ſanguinis ſpecies pectorales. Dedi magis ex doctrina juvantium, quam ex formata indicatione ſequens:

℞. Eſſent. caſtor.
— — Succin. āā dr. ij.
Liquor. an. m. H. dr. β.
Laud. liq. Sydenh. gt. xx.

M. Mane & veſperi, item inſtante paroxysmo ſumat guttas xx. in pauxillo aquæ.

Die 10. *April.*

A meridie oppreſſio pectoris & ſenſus rei in pectore circa medium ſternum impactæ (als wenn etwas in der Mitte der Bruſt ſtecken blieb) calores ſubitanei. Arteriarum in toto corpore pulſationes querebatur; veſperi friguit per aliquot horas, caluit poſtmodum. Toto tempore pomeridiano dolor capitis vehemens (als wenn das Gehirn zur Stirne heraus fallen wollte.) Nox minus quieta, ſuffocationem hyſtericam non eſt paſſa.

Die

Die 11. *April*.

Die ſequenti mane pauxillum ſanguinis floridi rejecit. A meridie arteriarum validiores pulſationes in toto corpore perſentiſcere ſe ajebat, calores ſubito aſcendentes; ſenſus rei in pulmonibus impactæ rediit, quæ a meridie tantum ſentiebatur, non autem mane. Toto tempore ſenſus exulcerationis in pectore. Nullus ardor in pectore; ex quo decoctum altheæ bibit, ceſſavit ſenſus ſiccitatis. Pulſus celer, fortis, tenſus.

Hodie veſperi veniens ob affectum pectus, pulſumque tenſum, durumque juſſi venam ſecare, non obſtantibus menſtruis, quæ in craſtinum circiter diem exſpectantur. Venæ ſectionem juſſi in pede fieri, ſi tamen ſanguis in ſcutellis ex pede miſſus non apte excipi poſſet, aſſervarique, fiat venæ ſectio in brachio.

Nota. Videtur eſſe plethora totius corporis, præcipue tamen pulmonum. Nam fœmina ſedentaria operi ſuo (Galanterienæherin) attente corpore antrorſum inclinato ſedens coacervationi ſanguinis in pectore facile anſam dat. Thoraculum motum pulmonis præpediens; inde exiguæ inſpirationes & exſpirationes; ſanguis igitur per pulmones non bene expeditur, ibi aggeritur &c.

Videtur adesse nimia nervorum irritabilitas, caussa vero *excitans* plethora, fors phlogistica humorum diathesis.

Die 12. *April.*

Facta heri venæ sectione in pede. Sanguis in prima scutella cum crusta phlogistica, modice densa, at tenaci; in reliquis scutellis vix initium crustæ. Pectus statim liberius. Nox minus quieta, at hac ipsa nocte menstrua rediere. Hodie nullus capitis dolor, pectus liberius. Pulsus minus celer, minus tensus, attamen sat fortis & plenus. Hucusque semper modice tussitavit, dolorque pectoris augebatur sub tussi. Fœmina plerumque pallida, & modice macilenta. Frigus genarum & debilitas hodie augentur. Suasi, ut cubitum concedens libram emulsionis bibat quotidie.

Die 16. *April.*

Dolores capitis, item paroxysmi hysterici emanserunt penitus. Frigus genuum subinde tantum. Sensus exulcerationis exiguus, & solummodo subinde, spiratio facilis, & de nocte siccitas pectoris linguæve, velut lignum arescentis. Menstrua & qualitate & quantitate bona fluxerunt. Sumat decoctum quater per diem, vesperi cubitum concedens sumat emulsum.

No-

Nota. Ex quo vena ſecta eſt, ſumit decoctum cum tantillo ſolum lactis. *Pulverem & guttas omittit.*

Die 20. April.

Die 16. Aprilis pectus magis affectum dolorque capitis, poſtquam mane exiverat. Die ſequenti denuo bene ſe habuit. Die 18. denuo pectoris affectio major, dolor capitis ad frontem gravis admodum (als wenn das Gehirn herausfallen wollte) calores continui cum intermixtis horripilationibus. Sitis magna, laſſitudo, frigus genuum, & ardor per fauces in os aſcendens, ſiccaque ligna, præcipue noctu. Hodie mane ſputum croceum, ſenſus exulcerationis perſeverans, ardoris ex pectore ſurſum per fauces in os aſcendentis. Pulſus modice celer, duriuſculus. Fiat venæ ſectio unc. x. in brachio lævo (verſus latus ſiniſtrum major pectoris affectio) pro potu ordinario utatur emulſione.

Die 21. April.

Sanguis cum cruſta exigua phlogiſtica. Hodie tota die oppreſſionem pectoris majorem ſentit, dolor capitis.

℞. Herb. heder. terr.
— chærefol. āā m. ij.

C. C. infunde cum ſeri lactis libr. jß. per momentum coque & fortiter exprime. Doſis pro die. Utatur ſimul emulſione, abſtineat quantum fieri poteſt carnibus, utatur diæta vegetabili.

Die 23. April.

Heri & hodie bene per omnia ſe habuit, niſi a meridie verſus vesperam, ubi per mediam horam leve frigus, dolor capitis, & oppreſſio aliqua pectoris, cum artuum tremore, at absque ſuffocatione invadit. Noctu os & lingua ſicca. Tuſſis aliqua, ſputa mucoſa, pauca. Facies pallet.

Nota. Sub nuperis illis paroxysmis palpebræ oculorum rubebant & turgebant, viſus confuſus, & corpora obvolitantia. Sæpe contingit, ut ſub ejusmodi paroxysmis hyſtericis oculi turgeant, rubeantque una cum naſo rubente, atque turgente, quaſi in coryza. Id in comitiſſa M** obſervavi. At hæc mea naſum ſub paroxysmum immunem habuit.

Die 24. April.

Hodie veſperi denuo per mediam horam riguit, absque ſubſequente calore. Sub rigore dolor capitis, & oppreſſio pectoris. Ceterum toto reliquo die commode ſe habuit.

Die

Die 25. April.

Hodie vesperi paroxysmus emansit. Leves tamen interdiu leipothymias (Uibelkeiten) patitur, sub quibus urina frequens, & crystallina mingitur.

Die 26. April.

Hodie mane sputum paucum croceum. A meridie dolor ventriculi, qui dein ad pectus usque ascendit, cum sensu oppressionis. Urina spastica aliquoties missa. Os siccum.

Nota. An facta debita evacuatione, fractaque inflammatoria dispositione, nervina & absque stimulo roborantia dari non possent? Nam videntur per frequentes adeo paroxysmos fibræ musculares habitum contraxisse, ut facile vel per se, vel admoto levissimo stimulo inordinate sese contrahant, & paroxysmos producere pergant, uti fit e. g. in febri intermittente, ubi remota licet materia febrili, tamen febris ex mera consuetudine persistit. Quid igitur si nervinis, ipsoque opio suspenderentur paroxysmi, dum interea dato cortice fibræ roborantur, & datis antiphlogisticis diathesis phlogistica penitus corrigitur?

Die 1. Maii.

Per hosce dies sat commode habet, attamen leves & momentanei paroxysmi sub-

inde per diem redeunt cum debilitate, & exulcerationis ſenſu in pectore, his redeuntibus urinam ſpaſticam mittit. Senſus ardoris in faucibus. Noctes ſat commodæ. Mane ſemper guttur aridum. Una alterave vice, præcedente exulcerationis ſenſu, mane exiguum ſputum leviter croceum rejecit. Frigus genuum minus. Plerumque pectus ſat liberum. Dolor capitis admodum raro & levis. At ſi motu corporis modice ſe exerceat, aut foras prodeat, ſtatim de forti arteriarum omnium in corpore palpitatione, deque levibus animi deliquiis conqueritur. Cum de ventriculi gravitate a ſero lactis conqueſta eſſet, juſſi, ut ſæpe, ſed ſemper exiguis portionibus id aſſumat, id quod profuit. Pulſus liber, bonus.

Die 17. *Maii.*

A ſeptima Maii denuo carnibus veſci incepit. Per omnes hosce dies omnino bene ſe habuit. Nullum in pectore incommodum. Nullum frigus genuum. Attamen aliqua laſſitudo, & ſenſus pulſationum in toto corpore, ſi corpus paulo magis exerceat e. g. ambulando foris. Die 12. Maii pectus denuo in medio oppreſſum cum modico ardoris ſenſu, item cum ſenſu *debilitatis in pectore.* Somnus profundus, capite mane obtu-

obtuſo. Senſu plenitudinis ac turgoris in oculis. Caput non dolet, a meridie pectus magis oppreſſum. Ad diem 17. Maii usque hæc incommoda quotidie ægram afflixerunt. Hoc die (17. Maii) vena in brachio ſecta. Sanguis cum cruſta phlogiſtica.

HISTORIA MORBI XXIII.

Die 14. *April.*

Peripneumonia chronica.

Fœmina circiter 54 annorum, lotrix. A multis annis latere ſiniſtro thoracis doluit per vices, præcipue in paulo profundiori inſpiratione. Toto hyeme pectoris oppreſſionem, uredinem, gravitatem, punctorium dolorem queſta eſt, cum inappetentia, & laſſitudine totius corporis absque tuſſi. Ante quatuor ſeptimanas horruit, æſtuavitque, & dolores punctorii in latere ſiniſtro, vomituritiones, conatusque inanes ad vomitum. Capitis dolor, os ſiccum. Nulla ſitis. Somnus nullus. Decubitus impoſſibilis in latus ſiniſtrum, & cum ſenſu ſuffocationis. Secta ter vena in dextro brachio. Sanguis ſemper phlogiſticus valde. Poſt quinque ſexve dies circiter incipientia animi deliquia vix non quotidie redierunt; incipiunt a ſcrobiculo cordis. Eodem circiter tempore inceperunt ſudores nocturni circa jugulum & pec-

pectus copiosi, quamprimum dormire incipit. Non appetit, non sitit. Somnus interruptus. Si profundius inspiret, dolet latus sinistrum, sub costis nothis sinistris versus medium ejusdem lateris; dolet locus ad scrobiculum. Iidem dolores in iisdem locis sentiuntur, sub animi deliquiis. Hae incipiunt a cordis scrobiculo cum sensu non explicabili verbis, ascendente per thoracem medium, dein per brachium utrumque cum sensu reptationis, aut formicationis, ad digitos usque. Sensus in toto pectore *exinanitionis* viscerumque ex tenui quasi filo (sic se ægre expressit) pendentium. Durat media sæpe die, subinde media nocte. Raro per diem integrum emanet. Paroxysmus hic fere semper fit cum palpitatione cordis. Alvus rara, tardiorque. Urina flava mucosaque. Os aut siccum aut glutinosum. Semper decumbit in lecto ob nimiam, ut ait, defatigationem. Pulsus fortis, plenus, non durus. Vix naturali celerior. Per nuperas ternas venæ sectiones sanguis extractus universim circiter ad unc. xxjv. Lotricis munere a multis annis fungitur. Galbano, castoreo, ipsoque opio, succino &c. usa est hucusque absque levamine. Quæ morbi idea? Quæ indicationes?

Die

Die 24. April.

Sumſit hucusque decoctum altheæ cum hedera terreſtri, oxymelle ſimplici & ſyrupo de althea. Paroxysmi longe leviores brevioresque. Urinam ſæpe ſpaſticam, id eſt, cryſtallinam mittit. Hodie venam in brachio ſiniſtro ſecari juſſi ad unc. xij. Ingens cruſta phlogiſtica. Item data ſunt ſequentia.

℞. Spec. dialth. d. nov. libr. β.

D. U. Quater per diem duo vaſcula cum cochlearibus duobus ſequentis:

℞. Oxymellis ſimpl.
Succi portulac. āā unc. vj.
Nitri puri dr. ij.

M. D. U.

Item bibat toto tempore pomeridiano libr. ij. emulſionis.

Nota. Eſt inflammatio, ſive *peripneumonia vera, ſed chronica.* Quales inflammationes veræ & *chronicæ* frequenter occurrunt. Spasmum quaſi hyſtericum excitat *diatheſis phlogiſtica.* Quod non raro occurrit. Vide fœminam ad quintam Aprilis. Morbos convulſivos pituitæ ab omni retro ætate adſcribunt plurimi, at ferme ſemper recentiores medici *phlegma frigidum* intellexerunt, etſi ſæpius in cenſum veniat phlegma calidum veterum, ſive *diatheſis inflamma-*

matoria ſanguinis. Ad inflammationem requiri ſpasmum fibrarum muſcularium, certum videtur eſſe. Noctu & ad primum ſomnum non amplius ſudat. Nocte venæ ſectionem ſequente ſomnus bonus, lateris ſiniſtri affectio minor.

Nota. Si ſtimulus in morbis convulſivis ſit a diatheſi phlogiſtica, opium ſymptomata adeo non ſopit, ut etiam inſigniter augeat. Patet ex ſupra relatis.

Die 14 *Maii.*

Hodie audivi ægram ſurgere, & ſat commode ſe habere, ſymptomata pauca, levia & raro redire. Pergit in uſu antiphlogiſticorum.

HISTORIA MORBI XXIV.

Die 8. *Junii.*

Hyſterica.

Puella 12 annorum tranſylvanica, variolis necdum laboravit, attamen morbillis primis jam annis. Ab octo annis non bona prorſus valetudine uſa eſt. Ab anno conqueritur de dolore in vertice capitis, ubi attactum aut pectinem nequaquam ferre poteſt. Nullæ capitis efflorescentiæ; videbatur tamen ibi loci pars capillata tumere modice. Sæpius modici horrores, iique ſubitanei,

tanei, quaſi ab affuſa frigida per dorſum aſcendunt, ſæpius leipothymias, ſubito aſcendentes calores patitur. Subinde vomit ingeſta. Globum hyſtericum patitur, item palpilationes cordis, in motu corporis, genua fracta. Os ſiccum, ſitis magna. Color plerumque pallidus cum maculis in genis intenſe rubra. Pulſus celer, fortis. Alvus ſæpe dura. Appetit. Dormit, ſi modo dolor capitis, quem etiam in anteriora capitis parte frequentem experitur, ſomnum non prohibeat. Timida ſupra modum nonnunquam eſt, & melancholica. Juſſi, ut faciat venæ ſectio in brachio, & deinde ad me denuo redeat, ſanguinemque ſecum deferat. Dolor ventriculi jam ab aliquot annis, præcipue mane, item poſt aſſumptam largiorem cœnam poſt copioſiora ingeſta ſæpe patitur lienteriam; ſanguis eductus absque cruſta, floridus. Datæ ſunt ſequentes pilulæ.

℞. Extract. fumar. unc. β.
— — amaricant. dr. iij.
Maſſæ pilul. Ruffi. dr. j.
Syrup. de abſynth. q. ſ.
M. f. pil. gr. jv. ter de die pilulas tres.

Die 15. *Junii.*

Omnia meliora, exiguis adhuc reliquiis remanentibus. At ab una alterave pilula jam

jam purgatur. Alvus nigrescens. Appetitus bonus.

Nota. Sunt hic a mucoſo humorum ſtatu, crudo primarum viarum apparatu, laxitate partium *ſymptomata hyſterica.*

Nota. Venæ ſectio non fuiſſet neceſſaria. Aliis caſibus, aliquo modo ſimilibus deceptus, venæ ſectionem imperavi.

Obſervationes variæ.

Apoplexia.

Capucinus 64 annorum, ante quinque menſes apopleticus concidit. Facta in brachio venæ ſectione ſanguis cum cruſta. Poſtero die rediit ad ſe. At contrahi primo unum, dein & alterum genu admodum doloroſe incepit; affectione hac ſenſim evaneſcente, tamen ſæpius de brachii ſiniſtri (ſiniſtrum genu magis, & omnium primo erat contractum, malo dextrum genu ſerius corripiente) pondere, convulſivis tractionibus, iisque dolorificis, de ſenſu modo frigoris, calente licet ad attactum manu, modo de ſenſu urentis caloris; item de vertigine, ſed præprimis de inappetentia, & vomituritione conquerebatur. Ante ſemialterum menſem levis admonitio apoplexiæ, vertigo ſcilicet

gra-

gravior, frequentiores convulſiones. Secta vena, ſanguis cum modica cruſta. Modo conqueritur (d. 18. Maii 1775) de iisdem, brachii ſiniſtri frigore; urente calore, ſubinde ſtupore; convulſione dolorifica; item de oculi ſiniſtri debilitate, qua fit, ut diu aut fixe eodem oculo objectum aliquod intueri nequeat. Etiam modo de inappetentia conqueritur. Vir vino largiter, & ſæpe extraneo fortiorique utens, chocoladam & potum coffe amans.

Vomituritiones & inappetentiæ, aut ſaltem ſolam inappetentiam a preſſo cerebro provenire dubium non eſt. Id quod probe notandum, ne ſtomachica ſic dicta propinentur. Notandum, nervinis ſic dictis, locum hic non eſſe.

Dolor ventriculi abſtinentia vini curatus.

Dom. de Z*** circa 30 circiter ætatis annum, corpore ſano, ab aliquot annis ſedentarius de frequenti ventriculi dolore querebatur; fercula eſurialia ferre non potuit Appetit nihilominus, multumque & avide comedebat. Solebat graviorem dolorem tollere ſumpta tinctura rhei aquoſa, cum liquore anod. m. Hoffm. Tandem ab omni penitus vino abſtinere incepit. Inde dolor ventri-

culi nullus; appetitus vegetus perſiſtit, & cibos omnis generis facillime concoquit.

Remedium in tuſſi convulſiva.

D. B*** mihi narravit, ſe tuſſes convulſivas in *morbi principio* facile curare dato ſale ammoniaco, cum oxymelle ſimplici aut ſquillitico, inde vomitum, aut alvum, aut ſudorem moveri. At ſi materies jam ad pulmones delata fuerit, morbusque diutius duraverit, fruſtanea ipſi omnia remedia fuiſſe. Dedit inſuper ſubinde thee ex ſalvia glutinoſa, floribus arnicæ &c.

De pleuritide, peripneumonia.

Hoc tempore die 11 Junii anni 1775, æſtuante & calido, quod poſt diuturnum frigus ſubito ortum perſeverat, graſſantur pleuritides, peripneumoniæque ſæpe brevi letales. Item rheumatismi, colluvies ſeroſæ, catarrhi &c. ut adeo verum deprehendatur effatum *Sydenhami* aſſerentis, pleuritidem regnare *tempore inter ver & æſtatem medio &c.* quamvis & hyeme non paucæ pleuritides ſint. Ratio eſt, quia orto ſubito æſtu, humores ſolvuntur, inque motum ducuntur, unde fit, ut pulmones, præcipue ſi accedente veſpertina perfrigeratione vas-

cula

cula pulmonica conſtringantur, eorundem copia rapidius mota inundentur.

Graſſantur etiam eodem tempore ex eadem cauſſa *febres intermittentes*, quarum cura hæc eſt, ut ſcilicet in corpore modice plethorico venæ ſectio fiat, cum in peſſimas pleuritides aut peripneumanias alias abire ſoleant. Diſcuſſa phlogoſi *ſolventia* & *leniter* ad alvum determinantia omnem abſolvunt paginam, a quibus in corpore debili, ubi nullus inflammationis metus eſt, ultra quatuor paroxysmos rariſſime febris perſeverat, ſæpe, excepto primo paroxysmo, reliqui paroxysmi absque frigore adoriuntur. Decoctum graminis cum oxymelle, & ſale medio leniter purgante optime convenit. Magnif. D. D. *de Kesler* plures curavit data omni die egregia quantitate aquæ ſic dictæ amaræ (Bitterwaſſer): experimento capto integra lagena continuit ſalis amari circiter dr. vij. vel unc. j.

Cura febrium vernalium.

Si *nimia* irritabilitas ſit in ſolidis, *morbi nervorum dicti, varii* oriuntur, prout variæ partes afficiuntur, aut varius acceſſerit ſtimulus. Hinc tam varia, imo oppoſita ſæpe horum morborum curandi methodos,

De morbis ſpasmodicis.

 quæ

quæ in eo omnium primo occupatur, ut *ſtimulus*, ſive cauſa excitans detegatur, removeaturque. Quo facto tollenda eſt nimia hæc irritabilitas ſolidorum, ſive *fibrarum muscularium*. Puto ergo morbos hoſce falſo nervis adſcribi; meliusque referri ad *fibras musculares nimium irritabiles*.

Patet ex his omnibus, quare morbus hic ſubinde cortice, marte, roborantibus aliis, gummi ferulaceis &c. curetur: cur autem ſubinde, imo ſæpe admodum omnibus hiſce augeatur; cur diæta vegetabilis juvet, ſcilicet ubi, diatheſis phlogiſtica humorum, aut etiam plethora adeſt. Vide hiſtoriam pueri in Telonio civitatis. Item hiſtoriam fœminæ ad 31. Jan. 1775.

Diatheſis phlogiſtica.

Sunt homines quidam, qui ex peculiari diatheſi ſanguinem habent ſemper phlogiſticum, etſi mere vegetabilibus veſcantur, etſi corpus per ſe non ſit *ſtrictum*, imo potius *delicatum*. Vitium vix aut non emendandum.

Plethora.

Sunt alii, debiles alias, teneri non laute viventes, qui nihilominus immenſam *ſanguinis boni, non phlogiſtici* copiam faciunt.

Vidi

Vidi coquam ita comparatam, idque in pluribus postmodum fœminis observari.

Puer in telonio civitate habitans *chronicam inflammationem pectoris* habet, *peripneumoniam veram, inflammatoriam* a multis jam mensibus, quin consuetos quidem exitus inflammationis sit hucusque secutus.

Peripneumonia chronica.

Legimus subinde in phthisi profuisse venæ sectionem. Puto eam locum habere in illa specie, quæ post hæmoptoem sequitur aut cum illa conjuncta est, præcipue si hæmoptoe sit orta ex dispositione thoracis totiusque corporis hæmoptoica. Tunc enim adest chronica quasi peripneumonia. In phthisi post pleuritidem vel peripneumoniam non semper aut forte rarius prodest, quia nulla simul juncta peripneumonia est, aut rarior, & levior.

Venæ sectio in quanum specie phthyseos?

Varices pulmonum, & sputum sanguinis inde natum vide in histor. D. W*** ad 31. Jan. 1775 (p. 69).

Varices pulmonum

In difficili dentitione.

Convulſiones in difficili dentitione venæ ſectio non ſedavit, ſed hirudo.

Tuſſis convulſiva.

Menſe Aprili anni 1775 tuſſis convulſiva frequens fuit, inter adultos æque ac pueros. Tuſſis ſæpe quotidie, nullo obſervato ordine, ſubinde omni altero die gravior. Subinde tota die ceſſavit, ſed veſperi ingruebat, ſubinde certas diei horas obſervavit. Reſpiratio plerumque libera extra tuſſim, pectus non oppreſſum, aut non niſi modice. Infantibus, imo & adultis inter tuſſiendum crura convellebantur, genuaque contrahebantur. Præſentiebatur paroxyſmus antequam ingrueret, ſenſatione moleſta, ſcalpente aut etiam reptante ex ventriculo, vel ex abdomine ad pectus ſurſum. Aliqui, infantes & pueri præcipue, vomebant ſub paroxyſmo. Tuſſis cum continua *exſpiratione*, & difficili, rara, ac ſtertoroſa *inſpiratione*, qualis ſolet eſſe a fumo ſulphuris. Morbi pectoris peripneumonici, catarrhoſi facile in caſtra hujus tuſſis ferinæ ſeu convulſivæ tranſeunt. Pectus ſiccum, tuſſis ſicca. Venæ ſectio, emollientia, cortex, purgantia, emetica fruſtra fuere adhibita, fruſtra etiam ipſa perſæpe opiata, plerumque enim

non

non tulerunt. Vidi tuſſim hanc ceſſantem, poſtquam ortus erat dolor rheumaticus in nucha & inter ſcapulas, & humero & brachiis. Vidi diu ſuperſtitem dolorem rheumaticum in loco interſcapulari, quem una cum tuſſii ſuſtulit veſicans ibi applicatum. Vidi jam plurimis paroxysmum ac tuſſim excitari *riſu*. Videtur ergo ſedes eſſe in diaphragmate, nervisque illum perreptantibus, quos materia ad ipſos depoſita, acris, rheumatica laceſſit. Hinc illa commutatio tuſſis convulſivæ in dolorem interſcapularem.

Cura ergo erit, peripneumoniam præpedire venæ ſectione, & emollientibus, & materiam acrem per *veſicantia* in loco interſcapulari poſita, aliove aperta educere.

De hypochondriacis.

Depravati ſapores, flatus, eructationes urentes tam cum materia, quam absque materia, ardor ad ſcrobiculum cordis. Digeſtio tarda. Acida, ſubinde auſtera cachochylia ſæpiſſime hypochondriacos infeſtant. Male habent multi a Caffee, præcipue cum cremore lactis, a lacte; ſaccharo; pinguibus, acidis, fructibus horæis. Hæc ſymptomata hypochondriacorum adeo frequentia ſunt, ut graves medici ideam illorum ex-

ploſerunt, qui *morbum nervorum* appellarunt hoc malum, quod ex eorum opinione ſolummodo *labefactati ventriculi affectio* erat. Hinc illud gravis cujusdam medici apud *Ettmüllerum* ad ſuos diſcipulos monitum: *Cura ventriculum, & curaſti hypochondriacum morbum.* At vero vidi quosdam certo hypochondriacos, optimo appetitu gaudentes, quin etiam voraces. Aliqui horum nihilominus de incommodis ventriculi, ſcilicet de flatibus urentibus ſurſum erumpentibus, de dolore ventriculi *contorquente* queſti. Noſco tamen & alios, qui de nulla ventriculi affectione conqueſti ſunt, etſi fuerint hypochondriaci.

HISTORIA MORBI XXV.

Die 14 *Junii* 1775.

Febris biliosa.

Dominus de *Z*** 60 circiter annorum. Semper antea ſanus, exceptis indigeſtionibus ſubinde ob vitam ſedentariam, & menſam lautiorem, quas ſumta tinctura rhei aquoſi curare ſolebat. Poſt medium menſem Majum tertiana corripitur. Secta vena in brachio. Sanguis absque cruſta. Paroxysmi poſt venæ ſectionem diuturniores, gra-

gravioresque, ſemper absque frigore. Poſt quartum paroxysmum vomitu ſpontaneo rejicit materiam copioſam bilioſam. Dato cortice quintus paroxysmus emanſit. Manſit inde debilis; ſed appetitu valens. Color, uti fere ſemper, in facie bilioſus. Bis largius veſcebatur carnibus.

Die 12 Junii.

Comeſto largiori prandio eo die bene ſe habuit. Noctu ſomnus bonus.

Die 13 Junii.

Mane circa nonam leve animi deliquium, ſtatim quinque ſpontaneæ dejectiones. Veſperi leviores horrores caloribus interpolati. Nox inquieta.

Die 14 Junii.

Mane ſum vocatus. Queritur de dolore capitis, ore glutinoſo, inappetentia, laſſitudine, dolore magno lumborum. Dedi ſequens

℞. Aquæ laxat. vienn. unc. jv.
Cremor. tartari dr. ij.
Liquor. anod. m. Hoffm. gutt. XL.
M.

Duodecies inde purgatus cum facilitate, alvi copioſæ. Ad ſingulas dejectiones vires rediere, dolorque lumborum evanuit vix non penitus. Nox bona.

Die 15 *Junii.*

Mane accedit denuo dolor capitis; os glutinoſum; horrores toto die caloribus mixti; pulſus mollis, admodum celer. Dolor lumborum denuo recrudeſcit. Tuſſicula ſicca frequens, & inter tuſſiendum pectus modice dolens & conſtrictum. Ceterum reſpiratio libera. Dedi ſequens

℞. Oxymell. ſimpl.
Roob ſambuci āā. unc. ij.
Nitri puri dr. j.
Aquæ flor. ſambuci unc. vj.
M. D. U.

Omni hora duo cochlearia ordinaria cum vaſculo ſequentis

℞. Flor. alth.
— malv.
— verbaſc.
— ſambuc. āā. m. j.
M. D. U.

Ter per diem dejectiones, dolor capitis, ſitis, abdomen plenum, tumidumque, dolor lumborum. Veſperi pro die ſequenti præſcripſi:

℞. Oxymellis ſimpl.
Syrupi de liquirit. āā. unc. jv.
M.

Omni

Omni bihorio duo cochlearia ſumat cum vaſculo prioris infuſi.

Pro potu ordinario uſus eſt hucusque limonada. Nox inquieta.

Die 16 Junii.

Mane ſumptis heri veſpere præſcriptis vomuit bilioſa, duasque alvos habuit. Facies flava, oculi turbidi, flaveſcentes. Omnia reliqua ut heri, excepto dolore capitis, qui poſt applicatum ad frontem heri veſperi epithema ex aqua roſarum unc. vj. & aceti roſarum unc. ij. per noctem & hodie ceſſavit. Ceſſavere per noctem pariter conſuetæ alterationes.

Hodie (16 Junii) poſt vomitum bilioſum veniens dedi ſequens:

℞. Amygdalar. dulc. dr. vj.
F. l. a. emulſio, in qua diſſolv.
Mannæ calabrin. unc. ij.
Salis amari unc. j.
M.

Sumat mediam partem illico, reliquum vero bihorio poſt, partitis vicibus. Quatuordecim, aut etiam pluries copioſe & cum magno levamine alvum poſuit. Vires meliores. Somnolentia, quæ antea adfuit, uti & flaviuſculus faciei color disparuere. Alacritas rediit. Pulſus plenior, mollis, minus ce-

celer. Sitis non magna, calores nulli. Nox ſubſequens absque ullo dolore, attamen cum exiguo ſomno.

Die 17 *Junii.*

Mane circa octavam tuſſicula frequens, ſputum album ſpumoſum, leviſſimo coloris crocei veſtigio, una alterave vice animadverſo. Pectus verſus mamillam ſiniſtram oppreſſum, & inter tuſſiendum dolor. Sum. ſit omni hora cochlear majus oxymellis cum vaſculo infuſi; hodie ſudor fœtens poſt exacerbationem, veſperi denuo ſudor fœtidus. Dolor aliquis capitis; os aut amarum, glutinoſum, aut acidum ſubinde, præcipue dum ſputa rejecit. Circa meridiem ſudor, & omnium ſymptomatum remiſſio.

Nota. Exacerbatio omni mane; pulſus mollis, celer. Sitis mediocris; nox bona ad auroram; bis alvum poſuit.

Die 18 *Junii.*

Semel mane ſedem habuit ſublaxam. Circa octavam mane caput ſolito gravius, attamen absque dolore; lingua ſubalba; os glutinoſum; tuſſis rara; minor pectoris oppreſſio; pulſus celer, mollis.

℞. Oxymell. ſimplic.
— — ſquillit.
Syrup. de hyoſc. āā. unc. ij.
M.

Omni

Omni hora cochleare ordin. cum vaſcu-lo ſequentis infuſi:

℞. Herb. hederæ terr.
—— capill. vener. aā. m. j.
D. U.

Circa decimam ante meridiem ſudor fœtidus, reliqum diei tempus extra lectum alacrius transegit. Pectus liberum; appetitus; noctu ſomnus bonus.

Die 19 *Junii.*

Circa mediam ſeptimam mane levis horripilatio circiter per 1/4 horam cum tremore magno artuum. Pectus modiciſſime oppreſſum cum tuſſi inani; color urens ad ſcrobiculum cordis; caput ſat bonum. Pulſus celer, debilis, mollisque. Præſcripſi ſequens:

℞. Aquæ flor. chamom. unc. jv.
Extract. cort. peruv. dr. vj.
— — flor. chamomill. dr. ij.
Syrup. flor. chamom. unc. jß.
M.

Omni hora duo cochlearia extra paroxysmum.

Sudor in hodierno paroxysmo magnus, & diuturnus, lingua parum adhuc alba, oris conditio magis naturalis hodie, pauca laſſitudo. Pectus liberum, & tuſſis rara. Tres a meridie ſedes habuit. Appetiit. Noctu ſom-

ſomnus bonus. Circa auroram bis alvum mollem poſuit.

Die 20 Junii.

Circa mediam ſextam mane ſubdormiens levem paroxyſmi admonitionem, leviculum frigus, & exiguos calores paſſus eſt. Pectus bonum; nullus dolor ventriculi.

℞. Pulv. cort. peruv. dr. vj.
Extract. flor. chammom. dr. iij.
Syrup. flor. chamom. q. ſ.
M.

F. elect. quater per diem magnitudinem nucis juglandis.

Die 21 Junii.

Somnus hac nocte bonus. Bene ſe habuit hodie, excepta exigua ſomnolentia mane loco paroxyſmi. Veſperi ſedem habuit modice conſiſtentem.

Die 22 Junii.

Nox bona. Nulla admonitio. Color faciei bonus, non amplius flavus.

Pergit in uſu corticis.

Die 23 Junii.

Nox bona. Mane quaternæ dejectiones laxæ cum ardore ad anum, & tuberculo hæmorrhoidali extra anum protruſo.

℞. Con-

℞. Confervæ cochlear.
— — trifol. fibrin.
Pulver. cortic. peruv. āā. unc. j.
Extract. abfynth. dr. ij.
Syrup. de abfynth. q. f.
M.

F. elect. craffum. Sumat hodie ter per diem magnitudine juglandis; reliquis vero diebus bis per diem.

℞. Pulv. rhei elect. dr. iij.
Tartar. vitriolat. dr. β.
Syrup. de abfynth. q. f.
M.

F. pil. gr. jv. Ter, quaterve fumat, quoties alvus fuerit difficilior.

Die 24 Junii.

Bene fe habet. Foras prima vice prodivit. Alvus vefperi bis, mollis poft affumptas pilulas.

Die 25 Junii.

Bene fe habet. Color bonus; appetitus. Hodie mane fponte bis alvum mollem pofuit.

Circa primum Julii incommoda hæmorrhoidalia paffus eft. Prodiit inter alvum duram tuberculum hæmorrhoidale. Pectus oppreffum, tuffis. Juffi, ut per biduum a medicamentis abftineat, & fumto tartari cremore

more alvum reddat lubricam, præcipue cum levi indigeftione laboraret ex nimia repletione prægreffa. Bene inde habuit. Refumfit ufum corticis una cum cremore tartari. Vires fucceffive redeunt. Color faciei bonus.

HISTORIA MORBI XXVI.

Die 14 *Junii* 1775.

Variolæ.

Domina de F*** 26 annorum. Hodie vefperi frigora caloribus mixta. Nox partim ob propriam infirmitatem, partim ob mariti morbum inquieta admodum. (Initium morbi ducendum a matutino tempore hujus diei.)

Die 15 *Junii.*

Iidem horrores caloribus mixti, dolor capitis ad frontem magnus. Inappetentia, laffitudo, dolor lumborum verfus inguina tendens. Os glutinofum. Sumfit thee cum oxymelle. Noctu inquies. Dolor capitis evanuit; at major lumborum dolor, & perdurantes alterationes.

Die

Die 16 *Junii.*

Summo mane ſumſit ſequens:

℞. Semin. cucum.

— — amygdal. dulc. ana. unc. ß.

F. l. a. emulſ. unc. vj. in qua diſſolv.

Mannæ calabr. unc. ij.

Salis amari unc. j.

M.

Mediam partem illico ſumat, reliquum bihorio poſt, partitim.

Inde vomuit biliosa copioſe, paucæ dejectiones factæ, ſcybala dura. Sed quia parcius exſpectatione mea purgans operabatur, utpote vomitu maximam partem rejectum, dedi ſequens:

℞. Pulp. caſſiæ,

— tamarind. ana. unc. ij.

emulge in aquæ communis unc. vij. colaturæ per linteum leniter preſſæ adde

Syrup. mannat. unc. iij.

Salis amari unc. ß.

M.

Sumat omni hora vaſculum coffeam, donec purgatur. Magnam etiam partem vomitu rejecit. Cum heri nulla fuerit alvus, & hodie ſcybala dura rejecta ſint; hinc dari curavi ſequens enema:

℞. Fol. altheæ m. ij.

Coq. cum f. q. aq. p. 1/4 hor. colaturæ unc. jx. adde

Mellis mercurial.

Olei lini āā unc. ij.

M.

Alvus frequenter pofita, fed pauca. Dolor ventriculi, lumborumque perfeverant. Abdomen tumet. Pars capitis finiftra dolet. Os non pravum. Sitis. Pulfus mollis, fed valde celer circa vefperam horrores caloribus mixti. Calor urens. Nox inquieta.

Die 17. Junii.

Mane fumfit fequens.

℞. Aquæ laxat. unc. jv.

Cremor. tartari dr. ij.

Elæofachar. citri. dr. j.

M. Sumat mediam partem mane, bihorio poft alteram. Probe fæpius purgata fumfit modo emulfum, modo autem limonadam. Circa meridiem parvus admodum capitis lumborumque dolor, qui tamen mane gravis fuit. Ventriculi dolor, & fenfus exulcerationis in abdomine, item ardor ad anum & aliquis tenesmus. Laffitudo minor, quam hodie mane, quæ maxima mane fuit. Pulfus liber, mollis, celer. Vefperi levis faucium dolor. In manibus, plantis pedum,

item

item in facie puſtulæ rubræ cum pellucido & ſplendente apice. Mictus ſtranguriofus. (Hodie (17. Junii) mane jam maritus obſervavit aliquot exiguas puſtulas.)

Nota. Nunquam variolas paſſa eſt, licet frequenter cum variolantibus fuerit converſata, item in eadem domo, in qua modo habitat, ſunt pueri variolantes.

Die 18. *Junii.*

(5ta morbi dies)

Nox quietior; mane pulſus minus celer, liber. Alacritas, dolor aliquis ad tempora ſiniſtra. Dolor faucium, ſenſus in ventriculo exulcerationis (ſchwürig) dolor aliquis dorſi, ſubinde pectoris aliqua oppreſſio. Vomituritio. Sitis exigua. Puſtulæ in manibus, pedum plantis, & facie confertiſſimæ. Sumit hodie alternatim limonadam & emulſum. Circa meridiem major adhuc alacritas, pulſus liber, naturali vix celerior. Sitis nulla, exiguus & artus oberrans ſubinde dolor, ſubinde exiguus, in crure dextro crampus. Nullus ventriculi nec abdominis dolor, vomituritio nulla. (Dolores vagi, quaſi rheumatici tempore eruptionis.) Omni media hora medium vaſculum emulſi bibit. Reſpiratio mitior, mictus facilis. Circa veſperam dolor faucium, & veli penduli

ac uvulæ inflammatio. Dolores quaſi rheumatici oberrantes, unde dolor ſubinde dentium, ſubinde aurium &c. coryza & frequens ſternutatio, oculi lachrimoſi, ſubinde tuſſicula ſicca, quaſi a catarrho, levis pectoris oppreſſio. Pulſus modiciſſime celerior, quam mane aut circa meridiem. Bombus & tinnitus in toto capite, & ſubinde lacinantes ſubito venientes disparentesque dolores. Nulla ſitis. Bis alvum poſuit laxam. Somnus turbatus.

Die 19. *Junii.*

Faucium dolor, uti & in medio gutture, febris nulla. Coryza. Reſpiratio bona, caput non dolet. Utatur omni mane balneo pedum tepido, item gargarizet cum ſuo infuſo ex floribus altheæ & malvæ &c. addito pauxillo lactis. Item heri præſcripſeram ſequentem limonadam.

℞. Aquæ font. libr. ij.
Succi citri.
Syrup. papav. alb. āā unc. ij.
Spiritus vitrioli dr. β.
M. D. U.

Cum vero hac limonada modice irritetur dolor in medio gutturis (ubi puſtulas ſuſpicor) juſſi, ut ſequenti linctu utatur.

℞. Mucilagin. sem. cydonior.
aqua rosar. extr.
Syrup. violar. āā unc. ij.
M.

Initium morbi faciendum a die 14. Junii tempore matutino. Nam in templo tunc existens vix non deliquium passa est. Die 13. Junii ad noctem voracem appetitum experta fuit.

Hodie (die 19. Junii 6to morb.) bene se habet, excepto gutturis medii dolore, dum *acida*, aut solidiores cibos deglutit. Pulsus vesperi paulo celerior naturali. Facies tumere incipit. Oculi lachrimosi valde, præcipue sinister oculus, qui primus plorabat serum acre. Tensio manuum & brachiorum. *Erecto corpore*, sat commode se habet. Multum imo plurimum bibit, aitque se statim majores calores & febrium experiri, nisi copiose bibat.

Hodie incipit sputare & salivationem exiguam pati. Nox insomnis.

Die 20. Junii.

Mane (7mo morbi die) exigua febricula, faciei tumor; ait, sibi erecto corpore melius esse; caput cubanti gravari; dolor pungens urensque in manibus. Saliva copiose fluit, utitur emolliente & tepido gargarismate. Pulsus naturalis & hesterno paulo

lo celerior, mollis. Nulla ſitis. Caput non dolens. Bibit etiam hydrogalam ex 4 part. aquæ & una parte lactis, addito pauxillo ſacchari. Dextra faciei pars magis tumet. Hodie libram aut etiam plus ſalivæ ſputando rejecit. Fauces minus dolent, & facilior deglutitio. Penes uvulam in latere ſiniſtro in velo pendulo, tres veſiculæ albæ magnitudine lentis, ſed elevatiores, conſpiciuntur (ſunt procul dubio puſtulæ varioloſæ, contra, quam ſcripſerit, ni fallor, *Cottunius*, aſſerens in partibus humidis variolas non dari) lingua alba; non ſitit. Pulſus veſperi paulo celerior, pleniorque, mollis tamen. Heri, uti & hodie, una alterave vice frigus, aut potius horripilationem ſenſit in parte brachiorum, quæ cubito & humero media interjacet. Potiſſimam partem diei extra lectum tranſigit. Hodie datum clysma, ſcybala pauca.

Die 21. *Jun.*

Octava morbi dies. Nox inquieta. Aliquis ad auroram ſomnus. In faucibus circa & retro uvulam puſtulæ plurimæ varioloſæ, albas veſiculas referentes, lentis magnitudine. Mane ardor circa pectus, & horripilatio, quam nox inquieta ſequebatur. Vomitus copioſæ materiæ glutinoſæ, unde etiam ſaliva-

livatio insigniter promovebatur. Pulsus mane non febrilis. Magna alacritas. Facies magis tumet, præcipue versus hypopia. Tussicula, & sensus rei ruditer fricantis in gutture. Pectus bonum, respiratio bona. Hodie dato clysmate alvus pauca & scybalosa prodiit. Salivam circiter ad libr. ij. fudit. Vesperi subinde exigua horripilatio. Facies magis tumet. Alacritas magna. Pustulæ majores. Pustulæ in facie confluentes, cohærentes, irregulares, complanatæ, intropressæ, humiles; circiter 15 pustulæ pressæ, humiles cum puncto leviter nigrescente aut cineritio subsidente. In auribus bonæ, acuminatæ. Uti & multæ bonæ in manibus, aliisque corporis partibus.

Die 22. Junii.

Nona morbi dies. Nox minus inquieta, & per intervalla aliquid somni. Inter dormiendum noctu & mane leves brachiorum convulsiones. Oculi ob tumorem penitus clausi. Major faciei tumor. Salivatio paulo minor & difficilior deglutitio. Alvus hodie ter posita, copiosa & lubrica. Pulsus naturali celerior & plenior. Paucæ per diem horripilationes, urina copiosa admodum, deglutitio vesperi facilis & copiosior salivatio. Corticem, quem heri circa meridiem

ſumere incepit, alacriter continuat, extra lectum eſt frequentiſſime & ab aliis fulta cubiculum obambulat. Magna alacritas. Formula corticis hæc eſt:

℞. Syrup. violar. unc. vj.
Extract. cort. peruv. unc. ß.
Spiritus vitriol. dr. ij.

M. Omni bihorio duo cochlearia ordinaria.

Nota. Alvus mota eſt veſperi ter, ad initium ſcilicet *febris tertiæ*, *ſive ſuppuratoriæ*; nam hac veſpera inceperunt jam aliquot puſtulæ flaveſcere. Ergo febris hæc ſuppuratoria ingruebat circa finem diei nonæ.

Notanda ſecundo eſt vis corticis & ſpiritus vitrioli absque camphora, item quanti referat ſitu *erecto*, & *extra lectum* eſſe, item copioſe potaſſe, unde vehiculum ſaliva & urina acquirit.

Tertio vomitum bilioſum in morbi exordio, item alvum blande motam ſummopere profuiſſe reor. Ex amico meo Dom. D. *Buchwald* audivi, ſe variolantibus pueris ad initium morbi vomitoria optimo cum effectu porrigere, inde ingentem bilis copiam educi.

Die 23. Junii.

Nox inquieta ob copioſum ſalivæ affluxum. Salivatio copioſa admodum & facilis.

Ad

Ad auroram ſomnus interruptus. Hypopia detumeſcunt; at buccæ magis tument, uti & mentum & collum. Pulſus celerior, quam heri veſperi, & quam hucusque, plenusque. plurimæ puſtulæ in facie flaveſcunt, quas forfice aperiri curavi. Circa nonam matutinam horripilatio. Partem faciei ſiniſtram pluribus variolis obſitam obſervavi Ad veſperam denuo horripilatio in brachiis & pedibus obſervatur Puſtulæ in toto corpore omnino plurimæ. Omnes fere complanatæ, & in medio ſubſidentes. Vix aliquot puſtulæ ſunt acuminatæ. Eodem ordine, quo eruperunt, etiam maturantur, & flaveſcunt. Collum totum tumet. Hodie veſperi etiam manus videbantur modiciſſime tumere incipere. Pulſus celer, non ſuppreſſus, ſat mollis. Corticem, quem ob ſpiritum vitrioli additum, & fauces variolis obſitas difficillime deglutit, una alteraque vice vomitu rejecit, quem continua ſalivatio & gargariſatio concitavit. Alacritas; potus copioſus; urina plurima; alvus nulla.

Die 24 Junii.

Nox inſomnis ob continuum ſalivæ affluxum, qui niſi omni quadrante horæ ſeſe gargarizet, ſuffocationem ob ſui accumulationem in faucibus minatur. Hodie circa

mediam nonam leipothymiam paſſa erat. Manus modice tument, magis tamen dextra quam ſiniſtra. Facies incipit magis detumeſcere, præcipue a ſuperioribus partibus, ſcilicet ab hypopiis incipiendo. Magis detumuit pars faciei ſiniſtra. Pulſus celer, heſterno fortior. Alvus nulla; hinc juſſi, ut clysma detur. Nares obſtructæ lacte tepido attracto, aut per ſyringem injecto ſolvuntur, & copioſa materies hac via prolicitur. In ore, palato, lingua, faucibus veſiculæ latæ in medio disruptæ variolas exhibent jam apertas, concidentesque. Sumit modo omni bihorio duo cochlearia ſequentis:

℞. Syrup. moror. unc. vj.
Extract. cort. peruv. unc. ß.
M. D. U. Item:

℞. Spir. vitrioli dr. iij.
D. U.

Sumat in ſaturato cremore hordei, in cibo, potuque, quantum commode his rebus abſcondi, ſumique poteſt.

A meridie ſemel leipothymiam paſſa eſt; quater alvum poſuit laxam, ſponte.

Die 25 Junii.

Nox ob ingentem ardorem puſtularum per totum corpus, quaſi fervido oleo inſideret, inſomnis. Verſus auroram aliquis ſom-

ſomnus. Mane ardor ingens, minor ad veſperam. Serum ex faucium puſtulis disruptis *ſalſum* eſſe ait. Tumor manuum major, præcipue in manu dextra; facies magis detumeſcit. Toto fere tempore in lecto eſt. Saliva paulo tenacior. Pulſus valde febrilis. Bis alvum laxam ſpontaneam poſuit ad veſperam.

Nota. Serum guſtu *ſalſum*, puſtulas oris, ardorem ad finem diei undecimæ. Febrim majorem, & præcipue alvum laxam, *coctam* tamen, ſpontaneam, qua natura reſorptam materiam acrem, transſpirabilem impeditam eliminare conatur, quem conatum medicus ſubinde moderari, ſi nimius, permittere, ſi per ſe moderatus, & quod, bene notandum, dato leniori purgante excitare debet, ſi nullus fuerit. Veſperi inter gargariſandum vomuit pituitoſa, itemque pauca coagula lactis, procul dubio ob aſſumptum ſpiritum vitrioli.

Die 26 Junii.

Noctu quinquies alvum poſuit diarrhæicam, flavam, copioſam. Ardor a puſtulis excitatus longe minor; exigua ſalivatio; quies animi & corporis, & aliqua ſomnolentia. Mane alvum bis poſuit diarrhæicam. Facies detumeſcit, eſtque cruſtoſa.

Ma-

Manus cum brachiis tument. Pulſus celer, ſat fortis. Circa meridiem rediit copioſior ſalivatio, minus tamen copioſa, quam antea, facilis. Hodie pedes etiam incipiunt intumeſcere. Puſtulæ ſunt etiam in parte capitis capillata. Palatum hodie inſpectum exhibuit maculas albas collapſas; at interſtitia, itemque macularum margines elati ſunt adhuc, & tument. Interſtitia puſtularum in manibus & brachiis longe minus rubent, quam antea. Ardor magnus puſtularum in naribus. Circa undecimam ante meridiem leipothymiam paſſa eſt.

A meridie ter alvum poſuit diarrhæicam. Pulſus ut mane. Facies veſperi magis adhuc detumuit; manus autem & brachia magis tument. Ardor minor, quam noctu & mane; ſalivatio a meridie copioſa & facilis. Hodie præcipue queritur de ardore artuum. Hodie veſperi vomuit multam pituitam.

Nota. 1) Febris ſuppuratoria, quæ heri tanta fuit, hodie inſigniter eſt minuta, ob ſupervenientem alvum diarrhæicam.

2) Puſtulæ non continent pus, ſed ſerum, minus, magisque fluidum.

3) Ab heſterno mane usque hodiernum mane accepit ſpiritus vitrioli dr. v. Item-

que

que intra XXIV. horas absumit unc. β. extracti corticis peruviani cum syrupo moror. unc. vj.

4) Nota utilitatem vomitus, per quem optime promovetur salivatio, itemque quidquid per glandulas salivales, œsophagi & ipsius ventriculi salivæ secernitur, vomitu utilissime foras ejicitur. Vomitus ergo necessarius omnino est, mereturque oxymelle squillitico, & ad gargarisandum adhibito & deglutito provocari: imo hoc nil proficiente, restitanteque salivatione emeticum ex rad. ipecacuanh. vel & ex tartaro emetico diluto caute dato, vomitus esset provocandus.

5) Evacuationes vomitu & alvo factæ insigniter minuunt febrim, putrem materiam evehendo.

6) Pustularum crustæ exsiccatæ, corrugatæque margines suos tumentes & interstitia distrahunt: hinc sensus ardoris, dolorque. Rodit præterea acris materies. Optimo cum consilio inunguntur crustæ pustularum mucilagine seminis cydoniorum, addito oleo amygdalarum.

Sola autem mucilago statim exsiccatur, & corrugationem crustæ, nataque inde incommoda auger.

7) In-

7) Intra xxiv. horas abſumit ſeptem & plures etiam menſuras potulentorum variorum.

Die 27 Junii.

Dies morbi xiv. Nox inſomnis; continua & copioſa ſalivatio per noctem. Item noctu exigui ſubinde dolores colici, & alvus diarrhæica quinquies per noctem poſita. Mane poſt ſextam quies & ſomnus. Mane vomuit multam pituitam inter gargarizandum, cum antea parcior eſſet ſalivatio, ea denuo poſt vomitum copioſa admodum rediit. Ante vomitum, cum ſalivatio penitus ceſſaſſet, horripilatio ſucceſſit. Redeunte denuo per vomitum ſalivatione rediit & alacritas. Puſtulæ in pedibus ad malleolum usque in interſtiis ſuis & circa margines ſuos albæ ſunt, & bono pure turgent. A malleolis autem ſurſum per crura, femora & pectus puſtulæ margines habent adhuc rubros, & nondum pus bonum habent. Pes ſiniſter magis tumet, quam dexter. Facies valde detumuit. Manus & brachia modice incipiunt detumeſcere. Veſperi poſt brevem ſomnum turbata erat, & modice, breviterque deliravit (*Tiſſotus* ait, ſomnum in acutis non reficere) una alterave vice eſt obſervatum, quod a ſomno pejus habeat.

Ve-

Veſperi denuo inter gargarizandum vomuit pituitoſa multa. Per diem ter, quaterve alvum poſuit diarrhœicam. Saliva a meridie copioſa & facilis. Eam per mentum defluentem ait acrem eſſe, & pruritum, ardoremque ibi, qua defluit, cauſſare; minor ardor artuum. Conqueritur de ingenti oris fœtore. Alacritas major. Horripilationem hodie vix unam alteramve habuit; omnibus autem præteritis diebus ſæpius per diem horruit.

Nota ſalivationem & artuum tumorem non impediri a diarrhœa.

Die 28. Junii.

Nox ſatis quieta, dormivit per intervalla, at evigilavit cum mente turbata, pejusque habuit a ſomno. Ter per noctem alvum poſuit diarrhœicam. Saliva hodie mane pauca & tenax. Facies valde detumuit, & prima demum vice hodie priori induta forma agnoſci ab adſtantibus poterat, ſibique ipſi aliquantum ſimilis fieri incepit. Manus dextra necdum detumescit, attamen ſiniſtra, quæ heri jam detumescere incepit, magis adhuc hodie detumescit. Pedes adhuc tument, puſtulæ manuum bono pure hodie turgent, & pleræque in medio antea depreſſæ, modo elevatæ ſunt. Pars faciei ſini-

ſiniſtra magis adhuc tumet, quam dextra. Pulſus naturali celerior, non durus, ſed nec debilis. Vox minus rauca. Ardor puſtularum in pectore. Magna alacritas. Nulla horripilatio adhuc ante meridiem.

Notanda eſt mutatio puſtularum malignarum in bonas. A meridie dormivit per intervalla cum gravibus inſomniis, & cum terrore evigilavit; at ab hora tertia ad quartam pomeridianam, ſomnus bonus. Circa quintam veſperi pulſus celerior, acceſſitque horripilatio in pedibus, deinde in manibus, demum circa pectus. Demum ſecuta ingenti urinæ copia omnia hœc incommoda diſparuere cum urinis, etiam vomuit pituitoſam & copioſam materiam, alvumque ſimul poſuit diarrhoicam. His evacuantibus peractis alacritas magna rediit. Manus dextra nondum detumeſcit, in eaque ardorem magnum queritur. Saliva pauca & tenax. Pedes necdum detumescunt. Pulſus celer, fortis.

Die 29. Junii.

Nox quieta, ſomnus per intervalla, tranquillus & reficiens. Alvus diarrhœica bis per noctem. Mane (dies morbi 16.) alvum pariter bis poſuit. Pulſus celer, fortis. Puſtulæ in manibus exſiccatæ ut plurimum.

In

in dorſo incipiunt exſiccari. Manus dextra adhuc vix non æqualiter tumet, at ſiniſtra ferme penitus detumuit. Facies dextra detumuit, at ſiniſtra faciei pars adhuc tumet Saliva pauca, & per intervalla, ac tenax. Addidi gargarismati oxymell ſquilliticum. A meridie optime ſe habuit. Somnolenta ſubinde eſt, ceterum alacris. Ubique per corpus exſiccantur puſtulæ. Manus dextra & pes ſiniſter adhuc multum tument. Ad noctem vomuit glutinoſam aquam. Pulſus celer, ſat fortis. Saliva pauca, rara, & ſputum coctum referens. Veſperi inquieta facta, anxiaque, ſed facto vomitu, miſſa ingenti lotii copia, & ſubſequente diarrhœa denuo bene ſe habuit.

Die 30. Junii.

Somnus bonus, magna mane alacritas. Bis per noctem alvum poſuit. Lateri dextro incumbere non poteſt, quia tunc ſtatim tuſſis moleſta oritur cum dolore circa coſtam tertiam in latere dextro. Attamen reſpiratio libera, indolens. Saliva ut heri. Hodie omnium maxime alacrior. Per diem bis alvum poſuit mane, & bis veſperi. Pulſus veſperi celer, ſat fortis. Oculi modice fluentes. Hodie tota die prima vice horripilationem non amplius habuit.

Die 1. Julii.

Semel per noctem, alias tranquillam, alvum posuit. Per diem bis alvum habuit mollem. Somnolenta est, somnus reficiens. Non horret. Caput & pectus liberum, pulsus celer sed admodum mollis, non appetit, os glutinosum. Dedi sequens:

℞. Aquæ laxat. V. unc. ij.
Cremor. tart. dr. β.
Elaeosach. menthæ dr. j.
M. Sumat cras.

HISTORIA MORBI XXVII.

Die 15. Junii.

Catarrhus.

Coqua 26. annorum. Menstrua semper pauca, irregularia. Facies pallida. Hodie vesperi horrores caloribus mixti, dolor capitis. Respiratio difficilis, tussis catarrhosa, oppressio magna pectoris, dolor & molesta sensatio ibi loci, ubi jugulum sterno jungitur; lassitudo, dolor capitis. Somnus turbatus.

Die 16. Junii.

Hodie omnia mitiora, ægrotabat orthostaten. Somnus turbatus.

Die 17. Jun.

Hodie omnia graviora vesperi denuo exacerbatio uti nudius tertius. Secta vesperi vena, sanguis cum notabili crusta in uno sen-

ſcutello. In aliis cruſtæ leve veſtigium. Sumſit omni hora cochlear ordinarium oxymellis ſimplicis cum vaſculo infuſi florum ſambuci, pectus poſt venæ ſectionem ſtatim longe liberius. Noctu ſomnus cum copioſis ſudoribus, uti & die ſequenti (18. Jun.), ubi omnia ſymptomata plurimum remiſere. Sputa moveri incipiunt.

Nota. 1) neceſſitatem venæ ſectionis, etſi corpus fuerit chloroticum.

2) Utilitatem infuſi florum ſambuci & oxymellis.

3) Corpori pleniori emollientia omnia fruſtranea ſunt, niſi venæ ſectio præcedat.

4) Inutiliter dantur *moventia*, ſcilicet ſtibium diaphoreticum non ablutum, flores ſulphuris &c. imo cum damno ægroti, niſi in *altero catarrhi ſtadio*, ubi cocta ſputa prodire incipiunt; gravis error, & admodum inter hujatis medicos communis.

5) Symptomata catarrhi ſunt exacerbatio veſpertina, ſomnolentia, quam peculiariter in omnibus adverti hujus anni catarrho laborantibus, os aut ſiccum aut glutinoſum, inappetentia, ſomnus turbatus. Subinde omni alterna veſpera gravior exacerbatio, frigore & caloribus conſtans. Vidi in uno omni mane circa octavam horam exa-

cerbationem. Laſſitudo, tuſſis cum voce rauca. Pectus in graviori malo conſtrictum, alias tamen liberum, niſi ſub ipſa tuſſi, ubi ſenſus preſſionis, titillationis, ſiccitatis, exacerbatio &c. ſentitur. Calor capitis. Sitis. Leniora purgantia mannata, expectorationem non impediunt, attamen in ſtatu *cruditatis* dari non facile debent, niſi ſaburra primarum viarum id ſingulariter poſtulat. Sudor fœtidus ſub finem exacerbationis & in reconvalescentibus obſervatur.

Ad ſymptomata catarrhi etiam pertinent ſudores copioſi nocturni, dolor lumborum, ventriculi dum digito premitur; diarrhœa ſpontanea, abdomen tenſum, flatibus, cruditatibus diſtentum, os ſæpe amarum, ſputa cocta non levantia.

Multiplex methodus eſt curandi catarrhos:

1) eſt *antiphlogiſtica*, ubi idea ſubphlogiſticæ diatheſis formatur.

2) retropreſſam materiam natura duce *per ſudores* eliminat; hinc opiata, partim ut tuſſim ſedent, partim ut ſudores moveant, propinantur.

3) *per diuretica* leniora agit, ſerum ad pectus delatum hac ratione eliminans.

4) *purgantibus* primas vias expurgat, ſed iis lenioribus, per epicraſin, & ſalinis.

Hoc anno 1775 menſe Junio, epidemice graſſante catarrho profuere lenia ſolventia ſalina, alvum moventia, ejusdem enim originis fuere, cujus febres hujus temporis intermittentes, quæ hos catarrhos prægreſſæ ſunt, & comitatæ. Profuit ſcilicet decoctum hordei cum ſale polychreſto aut amaro, oxymelle, & roob ſambuci ea datum copia, ut alvum leniter quotidie moverit e. g.

℞. Decoct. hordei ℔iij.
Salis amari unc. β. dr. vj, unc. j.
Roob ſambuci &
oxymell. ſimplicis āā unc. iij.
Omni bihorio vaſculum coffeanum.

Hæ enim proprie *ſolventia* dici debent, quæ *ſalino quodam* ſtimulo agunt, & verſus alvum dirigunt. Nihilominus ubi ingens pectoris conſtrictio, aut plethora adeſt, venæ ſectio præmitti debet. Quodſi purgatis primis viis, venæ ſectione, ſi opus fuerit, præmiſſa, nihilominus tuſſis, præcipue noctu, perſeveret, ſudorifera & præcipue opiata valebunt.

Menſe Januario anni 1733. *Huxhamus* deſcribit morbum maxime epidemicum cum magna tuſſi, qui per omnia fere ſimilis

 erat

erat epidemiæ huic noſtræ. Profuere enim apud *Huxhamum* emetica nonnunquam, aut lenia cathartica, frequenterque notavit tuſſim profligari oborta diarrhœa &c. Hinc deinde rheo, manna, tartaro ſolubili uſus eſt. Eandem febrim catarrhalem epidemicam obſervavit menſe Novembris 1737. Atque hanc febrim per plures jam hyemes magis minusque graſſatam eſſe, provenireque a craſſo, crudo, gelidoque acri ſpiracula cutis occludente, eandemque videri indolem habere cum febre *hyemali Sydenhami*. Mihi videtur, quod epidemiæ ab *Huxhamo* deſcriptæ eædem quidem fuerint cum noſtra, attamen plus ad phlogoſin acceſſiſſe.

HISTORIA MORBI XXVIII.

Morbus hyſtericus.

Domina de S*** 50 annorum. Novem proles genuit felici ſemper partu. Poſt partum tertium circa decimum tertium diem mammæ ſiniſtræ tumor, dolorque, qui tamen brevi poſtea evanuit, adeo ipſam perterrefecit, ut multis poſtea annis inanem metum de futuro mammæ cancro habuerit. Inanem hanc perſuaſionem comitabatur anxium quid, meticuloſum, timidumque, melancholicum, & diſpoſitio ad convulſiones

pro-

prona. Menſtrua ſemper regularia & copioſa. Sæpius obnoxia fuit tuſſi convulſivæ, præcipue ea corripiebatur prægreſſa perfrigeratione, inceſſu per pavimentum frigidum, pedibus male veſtitis. Subinde glutinoſa rejecit copioſa. Levamen habuit a magneſia nitri, cum pauxillo caſtorei. Præterito autumno, prægreſſa vehementiori ira os amarum accepit, item frequentes ſubitoque ortos & aſcendentes calores, ruborem frequentem genæ ſiniſtræ, tuſſim convulſivam pertinaciorem, gravioremque, & ſomni præprimis defectum. Tuſſis convulſiva ad ver usque perduravit, nulla certa periodo, nulla certa hora, aut die affligens, attamen non quotidiana; ſi bis terve per unam diem rediit, emanſit denuo per aliquot dies. Somni defectus perſtat hucusque; ſæpe urinam ſpaſticam mittit. Quæritur de pruritu ad occiput, de pondere ſcapulas premente, de anxietate fere continua, & involuntaria gravique triſtitia. Ante quatuor ſeptimanas denuo irata, os amarum, glutinoſum, febrimque accepit, inde per ſe potius, quam medicamentis convaluit. Quæritur ſingultus ſæpe, & eructationes flatulentas, flatus, borborygmos. Frigus pedum ad media usque crura. Appetit, non ſitit. Faciei color bo-

nus. Ab aſa fœtida & priori autumno & hoc vere accepta, male habuit, appetitum amiſit. Ab anno menſtrua emanent: inde ſymptomata graviora ſunt. Priori autumno & vere venam ſecuit. Hoc anno tubercula hæmorrhoidalia interna, dum alvum deponit, ſentit. Præſcripſi ſerum lactis cum ſuccis taraxaci, cichorei, chærophylli & elæoſaccharo citri.

Sæpius fuit catarrhoſa; tempore catarrhi a medicamentis emollientibus male habuit, ſed bene a magneſia, & alvum ducentibus; bene a decocto bardanæ, chinæ, ſaſſafras, ſaſſaparillæ, cum ſimul laboret efflorescentis capitis. Sæpius ſputum tenax, glutinoſum, ſalſumque vomituriendo, vomendique conatu rejicere ſolet jam ab aliquot annis. Redit ſæpius per annum hæc glutinis rejectio, prægreſſa circa guttur titillatione, ſenſuque ſolidæ cujusdam rei in faucibus.

Nota. Patet ergo, hyſteriam hanc pro cauſſa ſua *excitante* habere gluten.

Melius & ſæpius dormit de nocte. Alvus quotidie ſemel & facilis, urina multa. Alacritas. Efflorescentiæ occipitis. Univerſim melius ſe habet. Flatus tamen & borborygmi ipſam ſæpius adhuc infeſtant. Dedi ſequens:

℞.

℞. Pulveris rhei optim.
Magnes. nitri āā dr. ß.
Ol. stillat. menth. gt. jv.
F. pulv. & fiant No. IV. Sumat omni sexto die pulverem.

Die 21. *August.*

Bene per omnia se habet. Dormit noctu bene. Statuit modo ab usu seri lactis desistere, & circa medium Septembris incipere aquis spadanis uti. Queritur solummodo de alvi tarditate, item de ructibus flatulentis, & subinde de quodam *vacuitatis sensu* ad scrobiculum cordis. Eundem *vacuitatis sensum* cum ructibus flatulentis atque incipientis deliquii sensu vix non omnes aliæ, tam hysteriæ, quam & viri hypochondriaci queruntur. Ab hac molesta circa scrobiculum sensatione sæpe incipit paroxysmus hystericus. Hunc paroxysmum frigus artuum, præcipue pedum comitatur, ob spasticam scilicet fibrarum contractionem.

Die 15. *Sept.*

Bene habet per omnia. Denuo tamen ad usum seri lactis cum herbis accedet, interposito usu superioris pulveris purgantis. Serum lactis sibi valde proficuum erat experta. Quæritur de dolore aliquo ad nucham, & inter scapulas quasi rheumatico,

HISTORIA MORBI XXIX.

Die 19. *Julii.*

Hyſterica.

Dom. Z*** 55 annorum, a pueritia ſemper ſana, nonies feliciter peperit. Menſtrua ſemper bona copioſaque per plures dies. Anno 1762 ultimo gravida, menſe quinto graviditatis motus artuum convulſivos paſſa repente eſt.

Convulſiones iſtæ ſæpius poſtmodum rediere, poſt medium annum, aut etiam tardius, tempore invaſionis inordinate movebantur brachia. Caput ad latus detorquebatur, motus labiorum inordinatus; rariſſime concidit, ſed aut ſtetit, aut inordinate curſitabat. Brachiis, manibus res proximas dejecit, aut arripuit apertis oculis. Sui non compos. Sæpe ſub invaſione urinam miſit involuntarie, nulla oris ſpuma. Tempore inter hos graves paroxyſmos intermedio, ſæpe quotidie ſemel, imo & ſæpius ſubinde paſſa eſt leves, & brevi evanidos paroxyſmos ejusdem omnino indolis, uti illi graviores. Sub his levioribus ſæpiſſime ſui plene compos eſt; conſiſtunt autem hi leviores paroxyſmi in ſenſu rei per fauces reptantis, & circa guttur hærentis, unde vomituritio

con-

continua, & aquosæ materiæ in fauces affluxus, quam continuo deglutit. Facies, præcipue circa labia, tunc rubet, quin etiam cœrulescit. Subinde vertigo leves hosce paroxysmos præcedit. Graviorem paroxysmum a biennio non est passa, nisi præterita nocte. At leviores eo frequentius, & per horam etiam sæpius, ab aliquot diebus recurrunt. Melancholica, sedentaria, facillime ad iram mobilis. Pulsus sub invasione admodum celer, contractus, durus; extra invasionem autem plenus, fortis, vibrans. Sitis, inappetentia. Lassitudo. Frigus extremorum fere continuum. Attamen somnus bonus. Bis per annum venam secat. Diæta carnea absque ullis vegetabilibus, & modico vino utitur, item potu coffeano. Frigus in vertice capitis non habet. Urina sub accessum morbi frequens & spastica. Usa est pilulis ex asa fœtida &c. castoreo &c. absque levamine; item pulvere foliorum aurantiorum, sed frustra.

Die 20. Julii.

Heri sumsit aliquoties aliquot guttas liquor. anod. m. Hoffm. Nox bona. Hodie facta venæ sectio in brachio est. Sanguis cum crusta tenui, mediocriter tenaci, ex flavo virescente. Rediere paroxysmi ali-

quo-

quoties, rarius tamen quam heri. Per omnes hosce annos fere ſemper *ſiti* affligitur. Præſcripſi ſequentia:

℞. Herbar. rec. fumar.

Chærophil. āā q. ſ.

Ut expr. Succus unc. jv. cui l. a. clarificato adde

Seri lactis libr. j.

Elæoſach. citri dr. j.

Præterea tempore pomeridiano bibat libr. jß emulſi tenuis amygdalarum, utatur vegetabilibus, & motu per domum, rebusque domeſticis ſeſe occupet.

Nota. Sæpe ſubito ridet effuſe. Plerumque triſtatur, & ſolitaria ſedet.

Die 22. Julii.

Dolor ab apophyſi maſtoidea poſt aurem, per latus colli dextrum ad humerum usque. Frigus artuum, præcipue brachiorum. Pulſus fortis, tardus, duriuſculus.

Nota. Frigus artuum videtur provenire a crispatura fibrarum, vaſa ſanguifera conſtituentium, earumque ſpasmo. Eadem conſtrictione & ſpasmo urgetur ſanguis verſus pectus, fitque major reſiſtentia cordi ſeſe opponens, dum illud ſanguinem per arterias promovere nititur. Hinc *illa anxietas, triſtitia, mœror continuus, languor* vi-

virium, dejectusque appetitus; ab his vero ſymptomatibus diu perſiſtentibus tota œconomia turbatur, aliique morbi *ſuperveniunt*, quos ſedulo oportet diſtinguere a primario, hyſterico ſcilicet, aut hypochondriaco, morbo. Hinc & alia methodorum varietas oritur in curanda hyſteria; morbi enim *ſupervenientes peculiarem curam* requirunt, talem nihilominus, quæ morbum principem non augeat. Hæc autem *peculiaris cura* diverſiſſima eſſe poteſt, pro diverſa ſcilicet ſupervenientium morborum indole. Prima autem varietas methodorum in curandis nervorum morbis adhiberi ſolitorum provenit ex varietate *cauſſæ excitantis*, *ſive ſtimuli hyſterici*, *aut hypochondriaci*. Hinc etiam in tria inquiri debet, ſcilicet:

1) in *cauſſam prædisponentem*, ſive *irritabilitatem nimiam*;

2) in *cauſſam excitantem*, quæ ſubinde eſt mucus, phlogoſis, plethora, &c. &

3) in *morbos ſupervenientes*.

Die 28 Julii.

Paroxysmus hyſtericus non amplius rediit hucusque. Alacrior eſt. Pulſus liberior, mollior. Pergat in uſu ſeri lactis.

No-

Nota. Sumit ſerum lactis cum beccabunga, chærophyllo & taraxaco. Veſperi autem ſumit emulſum amygdalarum.

Die 12 *Auguſti.*

Nuper vino ex ceraſis acidis parato uſa, incidit in tormina & diarrhæam, qua vero brevi ſponte abeunte rediit paroxysmus vix non omni die, brevis tamen absque membrorum agitatione, & plerumque cum præſentia mentis. Pulſus plenus, fortis, duriuſculus. Fiat hodie venæ ſectio in brachio; ſanguis absque cruſta.

Die 20 *Auguſti.*

Rari paroxysmi, leviores, & ſæpe iis durantibus mens ſui conſcia. Cras incipiat uſum aquarum ſpadanarum, per tres dies bibat omni mane unam tertiam lagenæ partem cum vaſculo coffeano lactis. Dein vero omni die mediam lagenam abſumat. A meridie vero pergat in uſu ſeri lactis cum herbis.

Die 1 *Septembris.*

Ab octo diebus bis levis admodum paroxysmus rediit. Sumit modo quotidie mediam lagenam aquarum Stœcknicenſium. A meridie autem ſumit ſerum lactis absque herbis.

Die

Die 15 Septembris.

Raro, aut nunquam amplius paroxysmus rediit. Pergit in uſu eorundem. Queritur de nimia irritabilitate cutis, in collo, dorſo, artubusque inferioribus & ſuperioribus orta, ut manum admovere, & attactum ferre non poſſit. Hic eſt dolor quaſi rheumaticus, ſive *rheumatismus hyſtericus*. Senſum præterea frigoris perpetuo habet.

Circa medium Octobris, cum antea bene ſe habebat, rariſſimasque & leves tantum acceſſiones pateretur, alvi fluore per aliquot dies laborat; inappetentia; paroxysmi hyſterici graves & frequentes. Tandem vomuit bilioſa multa, ceſſat diarrhœa, redit appetitus. Minus frequentes paroxysmi.

HISTORIA MORBI XXX.

Die 28 Julii.

Hyſterica.

Domina de G*** 49 annorum. Sæpius peperit feliciter. Ultima menſtrua ante novem annos, dum prolem lactaret, ſimul fluentia, amiſit, cum ira gravi excandeſceret. Olim adoleſcentula ictero laboravit; ante multos annos jam maritata aliquoties in-

ntermittentes, easque ſat diuturnas paſſa eſt. Facies ſemper flava. Hypochondria non tument, nec dolent. Ventriculi doloribus frequenter obnoxia, a cibis aut nimiis, aut pinguibus, item a lacte. Ab octo aut novem annis auditus per intervalla gravis, gravior hyeme, & tempore pluvioſo; a duobus annis gravior, quam alias. Item a duobus circiter annis melancholica magis eſt, ſubito terretur, vertiginoſa fit; ſenſuum internorum, externorumque incipiens obnubilatio cum ſenſu minantis deliquii. Omnium artuum frigus. Urina ſubinde aut penitus ſuppreſſa, aut cum dolore miſſa. Hanc lotii ſuppreſſionem patitur imprimis, ubi corpus motu incaluerit. Dolor ad occiput, ſi rudis manu frigida contrectatur. Si vinum, aut pluſculum, aut ſpirituoſius aſſumat, omnia hæc ſymptomata fiunt graviora, cum ſenſu formicationis per crura & femora. Alvus irregularis, modo per biduum, triduumque ſuppreſſa, ſubſequente dein diarrhæa, dolores ſtomachi ſedantur, ſi lactucam cum multo aceto comedat; ab oleo male habet, patiturque ructus. Urinam ſæpe ſpaſticam mittit, ſubinde colore tali, qualis cereviſiæ eſſe ſolet. Panem valde appetit. Subinde ad femora maculæ lividæ, quaſi ſugillatio-

nes,

nes, eæque ſatis copioſæ ſponte oriuntur; ſomnus ſat bonus. Dolores ventriculi ſæpe eodem tempore ſunt, quo tinnitus & bombus aurium gravius infeſtat, qui tamen nunquam ex integro ceſſat. Si dorſo incumbat, vertiginoſa evadit. Sæpius per diem invincibili ſomnolentia corripitur. Subinde patitur conſtrictionem pectoris; difficilemque ſpiritum. Sæpius venam ſecat, aitque, ſanguinem cruſta phlogiſtica ſemper eſſe contectum. Pulſus fortis plenus; facies icterica, macra.

℞. Beccabung.
Chærophyll.
Tarax. āā. q. ſ.

Coquantur contuſ. cum libr. jβ. ſeri lactis.

Nota. Diætam habet carneam, item multum cereviſiæ bibit. Herbis, aliisque vegetabilibus non delectatur. Utitur etiam potu caffee.

Nota. In hac hiſtoria morbum hyſtericum cauſſa excitans videtur eſſe cachexia bilioſa, & forte ſanguinis ſtatus phlogiſticus, ſi modo cruſtam phlogiſticam, uti illa interroganti mihi reſponderat, ſanguis venæ ſectione emiſſus habuit.

Die 5 Augusti.

A juventute sua omni mense instantibus menstruis vomituriebat, vomuitque subinde pituitosa. Hanc vomituritionem etiam modo adhuc omni mense patitur, etsi nullis amplius menstruis gaudeat. Ter, quaterve per annum venam secat ob vertiginem, somnique defectum, capitis tinnitum graviorem. Hæc autem omnia cessant facta venæ sectione. Pulsus fortis. Jussi, ut venam secet in brachio.

Secta in brachio vena est, sanguis ubique cum crusta phlogistica satis tenaci. Bibat quotidie libr. ijβ. seri lactis cum herbis recentibus paratis; a meridie vero bibat libr. jβ., aut libr. ij. emulsi tenuis.

Die 14 Augusti.

Color faciei minus flavus, magisque pallidus, & albescens. Rarius & minus artuum frigus. Alvus quotidie semel, & facilis, urina, quam nuper stranguriose misit, passa subinde spasmum vesicæ summe dolentem, nunc libere mittit plerumque; stranguria post venæ sectionem rarior. Urina stranguriosa missa, pauca est, & russa, reliliqua libere missa sæpe copiosissima & mere aquosa.

Sub-

Subinde patitur quasdam, ut ſeſe exprimit ſanguinis ebullitiones. Vino & cereviſia abſtineat. Sumat ſerum lactis cum ſolo chærophyllo & beccabunga, absque taraxaco.

Die 2. Sept.

Venæ ſectio; ſanguis cum cruſta modice tenaci, a venæ ſectione melius habet. Color minus flavus. Minor laſſitudo, dolor occipitis gravis per triduum. Sumat ſerum lactis cum cremore tartari.

Die 18. Sept.

Appetit. Dolor aut potius gravitas occipitis. Color faciei bonus. Sumit mane aquas ſtœknizenſes, veſperi autem ſerum lactis.

HISTORIA MORBI XXXI.

Die 21. Sept.

Fluor albus

Fœmina circiter annorum 26. bis peperit feliciter; tertia vice ante quatuor ſeptimanas peperit partum octimeſtrem. Septimo graviditatis menſe ad finem vergente, cum aliquid levatis in altum brachiis ex arca depromere vellet, paſſa eſt hæmorrhagiam uteri, quæ tamen brevi ſedata eſt applicatis fomentis ex aceto. Exacto octavo

menſe prægreſſa diuturna & validiore corporis commotione ambulando facta dolores parturientium, partusque, quem obſtetrix manu abſolvere debuit, extracto per pedes infante mortuo; qui tamen paulo ante, ad initium ſcilicet partus adhuc vixerat. Secundinæ ſponte & facile abivere. Puerperium ceteroquin bonum.

Nunc queritur laſſitudinem, interdiu dolores ſubito aſcendentes, noctu frigus, fluorem album, alvum difficilem. Subinde dolorem ad inguen dextrum, ſubinde dolorem lumborum. Pedes non tument.

Nota. Diſpoſitio ad cacochymiam, fluorem album chronicum.

Etiam ante partum ferme toto tempore graviditatis fluorem album, non rodentem experta eſt, ſubinde tamen dolentem in mingendo.

℞. Sapon venet. unc. β.
Extracti rhei
— — amaricant. āā dr. ij.
Syrup. cichor. cum rheo q.

F. p. gr. jv. quater per diem quatuor cum duobus vasculis ſequentis.

℞. Radic. gramin.
— — taraxac.
— — cichor. āā unc. ij.

C.

C. C. M. D. U. Manipulum j per 1/2 hor. coquat cum libr. ij.

Nota. Maritus mihi sequentem casum narravit. Secundo mense graviditatis cum uxorem iniret noctu, repente aperta janua ancilla intrat; territi ambo re imperfecta, ante seminis scilicet ejaculationem, ab se invicem dissiliunt. Matitus mane proximo semen in indusia conspicit. Per quatuordecim dies semen abiit absque dolore; sumsit bals. samum de copaiva, sed frustra, tandem sumto decocto, in quo fuit radix acetosæ, fluor sistebatur.

Fluor seminis a terrore.

Nota. Fors fuit paralysis sphincterulorum in vesiculis seminalibus a terrore inducta.

Die 24. *Sept.*

Minor lassitudo. Appetit. Alvus bis per diem movetur a medicameutis.

HISTORIA MORBI XXXII.

Die 6. *Octob.*

Fœmina 48 aunorum, decies feliciter peperit. Ante quatuor annos ultima vice peperit. Lochia semper per sex septimanas fluxere. Ipsamet prolem lactavit. Mense

Mensium suppressio.

nono poſt partum menſtrua rediere, indeque omni menſe, non obſtante lactatione, regulariter ſemper fluxerunt. Ante quatuordecim menſes menſtrua non redierunt, attamen aderant dolores lumborum, ventriculi dolor contorquens, tractio in nucha, quemadmodum ſemper aliquot ante fluxum menſtruum diebus adeſſe ſolebant. Nullam noſcit cauſſam ſuppreſſorum & emanentium menſtruorum, nec perfrigerationem, nec terrorem, iram &c. Manſere eadem ſymptomata, acceſſit vertigo, reſpiratio impedita, & quaſi tremor quidam cordis, uti ſe exprimit ægra; dedolatio. Sapor dulceſcens ſubinde in fauces aſcendit. Calores ſubitanei. Mane major laſſitudo. Pulſus bonus, plenus, fortis. Ante quatuordecim dies menſtrua modiciſſima, ſtatimque diſparentia. Inde omnia ſymptomata aucta. Accedit inſuper inappetentia, os ſiccum, ſitis inextinguibilis. Ante octo dies hæmorrhagia narium ſponte orta. Pariter a quatuordecim diebus venter totus tumere incipit, tumor mane ſubinde exiguus, ſtatim vero major, non durus, attamen dolens ad attactum, diu cubare in unum latus non poteſt. Dolor ſcindens per intervalla, frequentiſſime repetens in lumbis, ad inguina,

urina

urina frequens & tenesmoidea, ac ſi partus inſtaret.

Fœmina hæc quater aut quinquies in ſingula graviditate venam ſecare debuit ob ſymptomata plethoræ. Signa graviditatis modo nulla ſenſit, cum alias tamen ſatis certo ſciverat, ſe gravidam factam. Gravida cum fœtu maſculo enormes dentium dolores pati ſolita erat; cum fœtu autem fœminino patiebatur contorſiones ventriculi.

℞. Fol. Malv.
— — altheæ
Flor. Verbasc. āā m. ij.

M. D. U. Manipulum coquat cum libr. iij. aquæ per 1/4 horam & colet. Quater per diem duo vaſcula coffeana tepide cum cochleari coffeano, ſequentis; addat etiam ſyrupum aut mel.

℞. Nitri puri
Cremoris tartari āā dr. ij.

M. D. U. in pyxide.

Simul ſecet venam in pede. Et poſt tres dies utatur balneo crurum tepido, admiſſo vapore ad corpus infimum, & demum utatur ſemicupiis.

HISTORIA MORBI XXXIII.

Perîpneumonia biliosa.

Filia Do. Z*** 19 annorum post Octobris initium friget per intervalla, caletque sæpius per diem. Inappetentia, lassitudo, os mucosum, & subinde amarum, præcipue mane, capite dolet. Sitis aut nulla, aut exigua per intervalla. Nulla ventriculi aut abdominis incommoda. Alvus facilis. Sumsit decoctum graminis, taraxaci, cichorei, cum oxymelle, roob sambuci, cremore tartari & sale polychresto; sexies, octies, decies per diem dejecit. Minor lassitudo, exacerbationes raræ & exiguæ, os minus mucosum, at perstat inappetentia, major oris amaror. Noctes sat bonæ. Die septimo vesperi pectoris oppressio accessit, dolorque in medio sterno. Die octavo sumsit emeticum; vomuit mucum leviter virentem, amarum, non admodum copiosam. Die nono appetiit, lassa est. Die decimo inappetentia rediit, nullum tamen pectoris incommodum inde post vomitum celebratum. Sumere postmodum jussa omni mane thee Holandicum, cum cremore tartari, ut alvus aperta servetur, datumque vinum rubrum bis per diem, cui rheum & radix gentiana rubra injiciebatur. Rediit brevi & appetitus & robor corporis.

Dolor

Dolor in ſterno cum difficili reſpiratione non fuit *inflammatorius*, licet pulſus fuerit celer & ſat fortis. Iſtud ſymptomaticum ſeptimo ſuperveniens erat *peripneumonia aut pleuritis bilioſa*, quam emeticum curat, at non venæ ſectio.

HISTORIA MORBI XXXIV.

Die 25. Dec.

Hæmorrhagia uteri.

Dma. H*** bis peperit, ultima vice ante quinque annos. Ante duos annos abortum quatuor menſium paſſa, poſt vehementiores corporis motus; diuturnum ſanguinis fluxum paſſa eſt, cum duro tumore, eoque dolente in hypogaſtrio. Circa ſextum diem Auguſti hujus anni, prægreſſa pedeſtri diuturna & fatigante corporis commotione, fluxum ſanguinis menſtruum ſat copioſum patitur, quem tamen ante octo dies etiam habuerat. (Menſtrua alias ſemper ordinata perque dies tres durantia). Poſt tres dein ſeptimanas rediere. Dein per duos menſes menſtrua emanſerunt, ante tres ſeptimanas fluxus ſanguinis, quaſi lotura carnium prodire cepit exigua quantitate, ſed ferme pepetuo ſtillando prodivit, cum dolore lumborum, hypogaſtriique, Dolor ad attactum major,

 ſcin-

ſcindensque, ac tumor in abdomine mobilis, modice durior, plerumque dolens. Poſt aliquot dies prægreſſa ira valida, colicis doloribus atrocibus prehenditur, qui mitigati, brevi ſuere; at ſæpius, præcipue veſperi redierunt. Ante quatuor dies denuo ſanguis grumoſus & dein floridus exiit, qui fluere pergit. Mitiora omnia. Appetit. Tumor adeſt adhuc mobilis, ſubinde dolens, præcipue ad attactum. Os, quod antea amarum fuit, bonum modo eſt. Ante duas ſeptimanas venæ ſectio in brachio, itemque in pede facta eſt, utraque cum levamine, ſanguis cum cruſta. Pulſus modice celerior, pleniorque naturali. Orthoſtaden ut plurimum laboravit.

℞. Seri lactis tamarindin. libr. ij
Mannæ calabr. unc. iij.
Nitri puri dr. iij.

M. Colatura D. U. ſumat quotidie omni hora vaſculum coffeanum, donec alvus ſolvi incipiat.

℞. Fol. Malv. m. iij.
Flor. Chamomill. mj.

M. Manipulus decoquatur; in colatura quadruplicatum linteum immergatur, & applicetur calide ad abdomen.

Nota.

Nota. Scopus eſt, alvum quotidie quater quinquiesve ſolvere, materiam verſus alvum determinare, & congeſtionem ſanguinis hac ratione, quæ in vaſis uterinis partiumque vicinarum adeſſe videtur, minuere.

Nota. Per aliquot dies ante mea medicamenta uſa eſt decocto leniter purgante ſolventeque cum magno levamine.

Die 27. Dec.

Heri prima vice vascula duo ſeri lactis tamarindinati ſumſit; purgata eſt univerſim octies. Alvus ſpumoſa, ut ait. Nox admodum quieta, circa auroram. Exiguus in hypogaſtrio dolor, isque obtuſus. Noctu ſanguis paulo copioſior prodiit, interdiu nullus. Abdomen minus tumidum, magis collapſum, minus dolens. Tumor infra umbilicum modo exiſtens minor, minusque dolens. Pulſus minus plenus, minusque tenſus, vix naturali celerior. Appetit. Plus virium; non ſitit. Fæmina pinguis, corporis magni, craſſique abdominis.

Nota. Elapſis duobus menſibus, quibus, uti per anamneſin conſtat, menſtrua ſubſtiterunt, affici cepit vomituritione perpetua, nauſeaque & inappetentia, dolore lumborum, doloribus nucham & caput repente ſcindente occupantibus.

Die

Die 31. *Dec.*

Sanguis paucissime fluit, abdomen collabitur, tumor minor. Mollities, nullus dolor. Quotidie duo, aut tria vascula sumit, unde ter, quaterve purgatur. Vires redeunt, pulsus mollis, naturali vix celerior. Subinde patitur repentinam pectoris oppressionem absque caloribus atque dolore capitis, absque siti. Exprimuntur sputa mucosa. At hæc oppressio multis flatibus sursum erumpentibus denuo solvitur. Patitur etiam subito ingruentes anxietates & insultus melancholiæ. Continuet serum lactis tamarindinatum, simulque instante oppressione & anxietatibus sumat guttas xv. sequentis in pauxillo aquæ:

℞. Tincturæ castorei,
— — — succin. āā. dr. ij.
Liquor. anod. m. Hoffm. dr. i.
M. D. U.

Die 11 *Januarii* 1776.

Venter detumescit, nullus tumor, nullus dolor, omnia mollia. Fluxus sanguinis per uterum per aliquot dies emanet, reditque denuo, sed parcissime. Appetit; dormit. Oppressio pectoris guttis antihystericis tollitur.

Die

Die 13 Januarii.

Tuſſi, ſputo ſat copioſo, pituitoſa pectoris oppreſſione laborabat.

Die ſequenti omnia leviora.

Die 15 Januarii.

Modica pectoris oppreſſio, *carnes in ſterno* ad attactum dolentes. Juſſi, ut guttas antiſpasmodicas ter per diem, quaterve ſumat. Os modice ſiccius naturali. Subinde ſitis. In abdomine omnia prorſus bona. Tuſſiendo unum, alterumque ſputum ſanguine ſtriatum rejecit.

Die 20 Januarii.

Bene valet per omnia. Pectus ſolummodo ſubinde modice oppreſſum habet. Carnes thoracis ad attactum, item, dum brachia elevat, dolent. A guttis antihyſtericis ſtatim affectio pectoris aut mitigatur, aut tollitur. Subinde recurrente pectoris oppreſſione redit etiam anxietas. Metus, & inſolita triſtitia.

Circa finem Januarii ipſam ſupradictis remediis penitus ſanatam reliqui.

OB-

OBSERVATIONES VARIÆ.

Puella 19 annorum. Furtim imprægnata peperit 31 Augusti 1775 apud obstetricem. Ultimis septimanis abdomen ingens præpendens. Immissus per pudenda digitus os uteri vix potuit attingere. Os uteri clausum, molle, & digitum facile refugiens, ac laxum toto corpore, imo pridie illius diei, quo peperit. Signa *inversionis* nunquam habuit.

Die 30 *Augusti.*

Toto die dolores lumborum, dein vesperi conamina dolorum partus. Hora noctis duodecima ruptæ aquæ. Abdominis moles versus latus dextrum vergens. Os uteri alte positum, paulisper hians, magnitudine grossi, & ad os ilei sinistrum vergens. Dolores frequentes, usque ad horam sextam admodum parum descendit. Inde movebatur magis deorsum. Margo orificii sinister in tenuem laminam extenuebatur, dexter vero tumuit; decubitus in latus sinistrum imperatus est. Deinde abdomen æquabile factum est. Caput prævium, nullus suturarum, aut fonticulorum sensus. Data antea, scilicet circa quintam matutinam, clysmata oleosa; facta venæ sectio unciarum octo. Circa octa-

ctavam matutinam paulo magis promoveri partus cepit. Circa mediam decimam lecto exemta, & sellæ imposita fuit. Caput pelvim explet. Et circa decimam infans prodit, facie nates matris respiciente, uti convenit, sed *osse parietali sinistro prævio*, ita tamen, ut proxime hic situs cum situ verticis prævii conveniret. Caput secuta est manus sinistra. Fœtus masculus, vegetus. Post partum omnia bona.

Nota sequentia, scilicet: 1) videtur toto tempore truncus prolis in linea perpendiculari fuisse, capitis autem vertex ultimis diebus non insistebat orificio uteri, sed ossi ileo dextro, inde continua laxitas oris uterini, cum auris sinistra potius, quam vertex os uteri respiceret.

2) Lente agendum, cum ipsa natura situm pravum *sensim sine sensu* corrigat. Male, imo nulla ratione facta fuisset aut *versio* (Wendung), aut *directio* (Einrichtung).

3) Lente initio procedendum. Puerpera ad labores ad initium primorum dolorum non urgenda est, ut supersint vires pro laboribus postremis & decretoriis.

4) Postremi labores melius in ſella perforata, *citius & facilius* perficiuntur. Ipſum prolis pondus multum facit.

5) Genua, pedes, brachia & manus ſuſtentacula firma habere debent. Multum prodeſt, lumbos bene fulcire.

6) Abuſus obſtetricum eſt, partem funiculi ex ſecundinis pendentem ligare. Parte enim hac non ligata ſanguis effluit, & minus ſecundinarum volumen efficit.

In pollutionibus nocturnis.

Novi juvenem creberrimis pollutionibus nocturnis obnoxium, qui ab hoc malo liber evaſit, ſumta per aliquot tempus emulſione camphorata.

Nota. Plerumque pollutiones nocturnæ fiunt primum verſus auroram, aut, ubi excuſſo jam ſomno expergefactus denuo in levem ſomnum matutinum relabitur. Hinc homines pollutionibus obnoxii, ut primum mane evigilaverint, ſtatim ſurgant, & a reliquo ſomno abſtineant.

Pulv. ſem. papav. alb. narcoticum eſt.

Solent fœminæ pueris dare pulveres ex ſemine papaver. alb. contuſ., & ſomnum certiſſime ipſis hac ratione concilant. Idem

in

in propriis infantibus probavit amicus meus D. *Bachwald*.

In morbis contagiofis epidemicis ægris male confulitur, fi intra nofocomia concludantur. In hisce morbis æque, ac in ipfa pefte fub tentoriis in loco *edito*, *perflatoque* conferventur. Item in monafteriis.

Ubinam afferandi fint ægroti tempore epidemiarum.

Lichen islandicum medicamentum mucilaginofum, involvens acrimoniam, roborans, & maxime antifepticum in lue bovilla optimum remedium effet. Copiofe in Hungaria crefcit.

Lichen islandicum in lue bovilla.

Non dubito, lichenem islandicum cum glycyrrhiza in decocto propinatum egregie convenire in morbis fyftematis urinarii, præcipue in fcabie veficæ, atonia aut mucofa, fabulofa, calculofa renum, ac veficæ difpofitione. Amarum & mucilaginofum lichenis id indicare videtur.

Idem in morbis fyftematis uropoietici.

Stoll, *R. M. P. V.* N Vidi

Peripneumonia & pleuritis puerorum.

Vidi nuper puellam annorum quinque, convulſa, ſubinde quaſi apoplecticam cum modica tuſſicula, reſpiratione ſibiloſa, ſtrepera, dolore primo gravativo: dein punctorio affectam venæ ſectione & decoctis emollientibus ſanatam. Erat pleuritis; ſanguis cum cruſta.

Paulo poſt vocatus ſum ad puellam quatuordecim menſium, non pinguem, nec rubram, ſed alias pallidam, quæ paroxysmos quaſi apoplecticos ſæpius paſſa eſt, cum difficillima reſpiratione. Sitis; extra paroxysmos ſubinde tuſſicula ſtrepens; reſpiratio ore ſemper aperto; facies, labia, gingivæ & fauces *lividæ*. Extra paroxysmum ſat adhuc alacris. Venæ ſectio in brachio tentata eſt, paucæ ſanguinis guttæ ſubſtantiam ſtatim tenuiſſimam effecere. Hinc juſſi, ut apponantur ad brachia omni modo. Paroxysmi ſtatim emanſerunt, livorque disparuit. *Pleuriticum*, aut *peripneumonicum* quid eſſe, ſuſpicor. Puella uſu mere emollientium, emulſionum, convaluit.

Nota. Conſueverunt parentes huic puellæ dare caffée. Potus hic pueris ſanguinem phlogiſticum facit, ut ſæpe vidi.

Mel

Mel mane comeſtum ad unum, vel duo cochlearia ordinaria, aut roob ſambuci alvum difficilem facilitat.

Alvum facilitantia.

Vapor decocti malvæ ad pulmones admiſſus in graviſſima pulmonum inflammatione egregius eſt

1) ad partes relaxandas,

2) ad ſputa ſuppreſſa movenda.

Balneum pulmonicum.

Vidi Dominam, cui tabulata cubiculi depreſſa vertiginem movent.

Vertigo.

Vidi fœminam, cui ante ſeptem annos, cum eſſet adhuc anno ætatis ſuæ 30, imperitus chirurgus tuberculum hæmorrhoidale ex ano prodiens *abſcidit penitus*, cum tantum debuiſſet *perſcindere*, ſive ſecando dividere mediante lanceola. Nata inde ani fiſtula incurabilis. Fœmina ceteroquin pinguis, & bene valens.

Tuberculum hæmorrhoidale abſciſſum.

Augustus anni 1775, & initium Septembris.

Menſe Auguſto anni 1775 erat æſtus magnus, ſquallor. Raræ pluviæ, crebra tonitrua. Morbi pauci, ſporadici. Sudores nocturni copioſiſſimi.

Ad menſem Septembris anni 1775. pertinentia. Peripneumonia bilioſa.

Morbi bilioſi multi. D. *Plencitz* ægram curavit, exigua ad initium cholera laborantem. Secta ab chirurgo vena ante medici adventum. *Inde* difficillima & ſumma anxia reſpiratio, mens aliena, vox efferа, oculi truces. Datum vomitorium ex tartaro emetico in aqua ſoluta, bilioſa vomuit, pulſus antea parvus, debilis, paulum aſſurgit; mens necdum rediit. Adplicata veſicantia, epiſpaſtica, vapor aceti ad pulmones admiſſus profuit, mens enim rediit, melior reſpiratio. Bene ſe habet.

Puella ſeptemdecim annorum paroxysmo corripitur febrili die Veneris. Vomuit bilioſa; calores continui. Die Dominica denuo parum vomuit; alvus pertinax. Fit eodem die venæ ſectio; poſt venæ ſectionem balbuties, delirium mite; pulſus celer, debilis. Adplicata ſunt veſicantia, datum ſolvens decoctum cum multo ſale polychreſto.

ſto, ut alvus frequens ſequatur. Poſt duos dies minor balbuties, mens conſtat; reſpiratio tamen gravis. Dedit ejus medicus mannam cum multo ſale amaro. Octies purgata eſt, optime inde habuit.

Hinc habetur idea *peripneumoniæ bilioſæ*, *pleuritidis bilioſæ*, *delirii bilioſi*, *phrenitidis bilioſæ*, *apoplexiæ bilioſæ*. Quos morbos ſæpe tractamus uti *inflammatorios*, ſed peſſime. Evacuantia & demum veſicantia *hic* proprie indicantur. In *phrenitide bilioſa*, uti etiam in *apoplexia bilioſa* purgantia & veſicantia valent. Nocent autem ſummopere in *phrenitide*, aut *apoplexia inflammatoria*.

Juvenis circiter annorum 20 poſt medium Auguſti febrili paroxyſmo corripitur. Signa affectarum primarum viarum. Datum purgans ob calorem, inappetentiam, laſſitudinem. Melius inde habuit; manſit tamen laſſitudo, caput grave, obtuſum, pallor faciei. Rediit appetitus, os non amarum, ſed mucoſum, lentores circa dentes. *Dolores vagi artuum.* Alvus facilis bis, terve per diem. Dedi rheum quotidie} aſſumendum.

Debuissem addere salem aliquem, e. g. cremorem tartari.

Rheumatismus biliosus.

Nota. Habetur hic idea *arthritidis*, seu *rheumatismi biliosi.* Dolores hos artuum etiam in Hungaria admodum frequenter vidi post morbos biliosos evacuantibus debito modo non datis. Dolores hi potissimum deprehenduntur post dysenterias suppressas, & emeticis non curatas.

Phthisis ex catarrho neglecto.

Circa quartum septembris mortua est puella annorum 19 in suburbio Leopoldino paulo infra pontem penes Danubium. Hæc catarrho laboravit circa bachanalia hujus anni, paulo post omni vespera horruit. Medicus febrim intermittentem reputans, dedit purgans, dein corticem peruvianum. Febris mansit, horrores per diem frequentiores, & nunquam plena ἀπυρετος fuit. Accedit ratione sistenda, continuatur cortex. Tandem D. *Buchwald* & ego vocantur, præscribimus serum lactis herbis recentibus infusum. Melius habet, decumbit denuo in utrumque latus, respiratio emendatur plurimum, sputa manent, uti antea fuere, scilicet aquosa, mucosa, & subinde talia, qualia in catarrho

ma-

maturefcente effe folent, coacta fcilicet nullus pus. Suafi vapores emollientes ad pulmones. Tandem fero lactis aliquid lichenis islandici incoquebatur. Rumpitur circa finem Augufti hujus anni vomica, animo linguitur, denuo refocillatur. Diarrhæa ceffat; dolor punctorius accedit, denuo altera, tandem & tertia vomica rumpitur. Vix non periit fub ruptione ipfa. Tandem cum fe bene habere ajebat, hilaris & jocofa admodum effet, & pulfus effet fere απυρετος, indormit, & dormiendo moritur.

Nota. Fors puella hæc jam antea habuit tubercula, accedente catarrho inflammata & fuppurantia.

Efflorefcentiæ menfe Augufto anni 1775.

Menfe Augufto plurimis efflorefcentiæ in facie & toto reliquo corpore, rubræ pruriginofæ, in cruftam abeuntes, fine febre. Lenia purgantia, rhabarbarina, falina profuere.

Morbus yftericus.

Fœmina 46 annorum, nunquam maritata, a Pafchate hujus anni 1775 ad medium usque Auguftum, quo me prima vice vo-

cavit, dolorem atrocissimum in latere capitis dextro versus verticem habuit cum dolore contorquente gravissimo oculorum, oculi præcipue dextri. Dolor vix non quotidie ab hora decima ad vesperam usque. Si interdiu mitior erat, aut emanserat penitus, noctu rediit graviter. Secta sexies vena absque levamine. Sanguis bonus. Vesicantia, purgantia, antihysterica non profuere. Sumsit a me serum lactis cum succo cichorei. Melius habuit, sumsit dein aquas Stœknicenses, corticem & limaturam cum asa & castoreo, melius se habet. Raro dolor redit, & mitior longe. Nuper sensum frigoris in gingivis, buccis, faucibus, ibique loci dolores quasi *rheumaticos* questa est. Ilico cedunt ab *odore* asæ & castorei, item ab *eructatione* sumptæ asæ fœtidæ & castorei. Plus videtur proficere *odor*. Dedi nodulum ad olfaciendum, & fumum.

Cum dolor nunquam penitus emaneret, dedi pilulas ex asa fœtida, galbano, castorei, camphora & laudano puro. Pessime inde habuit, dolor enim enormis rediit cum tremore capitis, & motu convulsionum præ doloris vehementia. Os glutinosum, dentes & gingivæ sordidæ, sapor acidus, muriaticus ma-

materiæ ad os confluentis; oris fœtor. Suaſi, ut ad ſerum lactis redeat cum cichoreo & taraxico recenti; omni autem veſperi ſumat pulverem ex rheo & magneſia, ut lac, quaterve per diem alvus moveatur. Secundo ſtatim die ab aſſumptis hisce mitior rediit dolor, minor oris impuritas.

Nota. 1) Dolor hyſtericus, qui pro *cauſſa excitante* habet humorem acrem, acidum, muriaticum, nervos ſtimulantem.

2) Dolorem hunc opium adeo non ſopivit, ut illum etiam exacerbaverit. Quare opium non ſopit omnes dolores? Quales non ſopit? Quales potius exacerbat? Sumſit tamen fere granum opii pro doſi, ſaltem, ni fallar, quantitatis opii erat 3/4 unius grani mane & veſperi.

Quotquot vidi hypochondriacos & hyſtericos, circa finem menſis Septembris, & magis adhuc Octobris menſe pejus ſe habuere; paroxysmi graviores, frequentiores.

Incommoda hypochondriaca & hyſterica menſe Oct. aucta.

De morbo hypochondriaco quædam.

Frequens admodum morbus eſt hypochondriacus, pars primario affecta diverſa eſſe ſolet. In iis, qui laute, ſplendeque vivunt, circa quadrageſimum, aut quadrageſimum quintum annum ſæpe & citius ſeſe exerit in ventriculo præprimis & in inteſtinis. Corpore ſunt pingui, ſucculento; colore bono. Queruntur laſſitudinem, præprimis mane, dum ſurgunt, flatus, borborygmos, eructationes mere flatuoſas, & ſenſum quaſi incipientis deliquii circa ſcrobiculum. Subinde ſenſum motus tremuli in regione ventriculi, uti vidi in Patre Guardiano *** in ſuburbio; ſubinde ſenſum inanitatis circa ventriculum, ſubinde ſenſum fermentationis & ebullitionis. Anxii ſunt, triſtes. Puſillanimitas. Pedum, crurumque gravitatem queruntur. Ratio phænomenorum hæc eſſe videtur: cum diæta utantur vinoſa, aromatica, largaque ventriculi & inteſtinorum fibræ *continuo* ſtimulantur, indeque *nimiam ſibi irritabilitatem* contrahunt, ſibique *habitualem* faciunt. Præterea *febrem quamdam artificialem* fere continuo habent. Peracta coctione, corporeque jejuno male habent, quia tunc motus inordinati fibrarum ventriculi & inteſtinorum potiſſimum contingunt. Comparari cum iis poſſunt, qui ſtimulo opii aſſue-

assueti sunt, & sine opio languent; aut cum iis, qui potui spirituosorum additi, absque eo queruli sunt, debiles, tremulique. A dura vivendi ratione diu protracta, itemque exercitio corporis melius habent, curanturque subinde. Qui fumo nimio tabaci assuevere, eo carere vix possunt, absque eo lanquent pariter, & morosi sunt. Morbus hic divites non sinit esse nimium felices, eosque reducit ad conditionem hominis, supra quem ob divitias elevati videri poterant. Male ut plurimum consulitur ejusmodi ægrotis duplici modo: sunt enim medici quidam, amicos & vinum suadent; sed hac ratione malum solummodo palliatur; usus vini inter amicam confablationem animum, viresque erigit, sed difflata vini virtute eo major redit languor. Alii medici, iique non pauci, somniant *obstructiones* hepatis, mesenterii &c., dant deobstruentia ex gumi-resinis, extractisque solventibus. Sæpe addunt alia sic dicta nervina, scilicet camphoram, moschum, castoreum; verum caussam morbi augent, dando stimulantia, aromaticaque. Juvat sola diæta, frictio, vita laboriosa. In æstate aquæ Spadanæ, Stöcknicenses.

Bal-

Tritæophys.

Ballonius fol. 339. deſcribit febrim tritæophyem, de qua ait, apparuiſſe *ſanguinem putrem & lacteum.* Unde apparet, fuiſſe febrim *inflammatoriam.*

Veterum diſtinctio febrium mala fuit, tritæophys ſubinde *billioſa* eſt, ſubinde *inflammatoria.*

SE-

SECTIO II.

HISTORIÆ MORBORUM

IN

NOSOCOMIO SS. TRINITATIS CONSCRIPTÆ.

ANNO 1776.

HISTORIA MORBI I.

Die 13. *Martii.*

Vomitus cruentus.

Puella 26 annorum. Ferme omni mane, item post pastum assumpta vomuit, jam præcendente autumno. Sumto castoreo siluit vomitus aliquoties, itemque sumpta potiuncula purgante. Ante quatuor dies vomuit magnam quantitatem sanguinis nigri *chocoladæ* instar. Facta venæ sectione inde aliquoties vomuit, sed non amplius sanguinem. Aliqua sitis, lingua modice alba. Fiat venæ sectio in brachio.
Menstrua semper bona, sæpius tamen anticipantia. Sumat

℞. Rhei electi ʒß.
Salis polychrest. scr. ij.
M. Detur in duplo.

Fors conveniret sal amarum.
Decoctum subacidum.
Enema ex aquæ hordei ℥viij.
Mellis unc. ij.
Nitri drach. j.
vel etiam Decoctum tamarindinatum cum drach. iij. cremoris tartari.

Re-

Repetantur pulveres ex rheo & ſale polychreſto.

Die 14. *Martii.*

Bis purgata melius ſe habet.

Enema.

Decoctum tamarindinatum cum cremore tartari.

Sanguis heri miſſus cum exigua cruſta. Dolet ventriculus, præcipue ad attactum.

Pulſus fortis. Non vomuit.

Decoctum emolliens.

Enema.

Venæ ſectio altera.

Die 15. *Maii.*

Sanguis cum cruſta. Melius per omnia ſe habet. Non amplius vomuit ingeſta. Minus dolet ad regionem ventriculi. Non febricitat.

Die 16. *Maii.*

Bene per omnia ſe habet. Nunquam amplius vomuit.

HIS-

HISTORIA MORBI II.

Die 13. *Mart.*

Fœmina, ante 6 dies peripneumonica facta eſt. Sanguis cum cruſta.

Peripneumonia biliosa.

Decoctum hordei cum oxymelle.

Mixtura antiphlogiſtica.

Die 14. *Mart.*

Oppreſſio vix minor. Dolor capitis &c. idem fiat.

Secunda venæ ſectio.

Repetantur reliqua.

Die 15. *Mart.*

Sputa mocoſa.

Mixtura ſtibiata.

Omnia leviora. Sanguis cum cruſta.

Die 16. *Mart.*

Heri & hodie ſponte vomuit bilioſa cum levamine.

Die 19. *Mart.*

Pectus longe melius. Amaror oris, nauſeæ, eructiones. Datum

Emeticum ex tartar. emet. gr. iv. in
aqua Libr. j.
oxymell. ſimpl. Unc. ß.

Die 20. *Mart.*

Pectus bonum, reſpiratio facilis, os bonum. Sputa glutinoſa.

Mixtura ſtibiata.

Die 22. *Mart.*

Omnia bona. Appetit.

Die 25. *Mart.*

Cum febris, ſitisque recrudescerent, pulſus plenus fortisque videretur, dedi

Emulſum camphoratum,

& inde melius ſe habuit.

Die 26. *Mart.*

Bene per omnia.

Die 30. *Mart.*

Pectus denuo oppreſſum. Frigus calorque per vices. Os amarum, inappetentia. Amaræ eructiones.

Emeticum datum,

& bene per omnia ſe habuit.

Die 3. *April.*

Mixtura ſalina præſcripta ad evacuandas morbi reliquias.

Die 5. *April.*

Bene ſe per omnia habet.

HIS-

HISTORIA MORBI III.

Die 14. *Mart.*

Febris quotidiana cum affectu pectoris.

Puella quatuordecim annorum heri mane vomuit biliosa, horruit subsequentibus caloribus. Hodie vomuit pariter, horret, calet. Os amarum. Pectus oppressum, tussis. Pulsus celer. Ante paucas septimanas pleuritide laboravit. Et carnibus comestis nauseam, ructus nidorosos, rancidos contraxit. Fiat

Venæ sectio.

Decoctum cum Oxymelle,

Mixtura salina.

Et cras mane detur sequens

℞. Tartari emetici gr. jv.

Oxymellis simpl. unc. j.

Aqu. font. Libr. j.

M. S. Omni quadrante hor. sumat quartam partem.

Die 15. *Mart.*

Facta venæ sectione sanguis absque crusta fuit. Neglectum emeticum. Statim post venæ sectionem deliravit. Datum vomitorium, vomuit biliosa quam plurima, & paulo post rediit ad se.

Die 16. *Mart.*

Paroxysmus non rediit, attamen reſpiratio aliquantum adhuc gravis fuit, minus tamen quam heri ante vomitorium. Dolor in pectore minor. Datum

Emulſum camphoratum.

Heri poſt vomitum adplicata veſicantia. Hodie vero eidem emulſo camphorato addidi corticis peruvian. unc. β.

Purgata eſt a cortice ſepties, bene ſe habet. Sumit modo corticem in pulvere, nulla febris. Bene ſe habet.

Nota. An oppreſſio pectoris eſt mere ſympatica, ob crudum apparatum ventriculi? An vera eſt inflammatio pulmonum? Reſpond. in primo caſu ſolum emeticum juvat. In ſecundo autem venæ ſectio, & demum discuſſa inflammatione emeticum.

Oppreſſio dolorque pectoris a primis viis. Id eſt peripneumonia bilioſa.

HISTORIA MORBI IV.

Die 13. *Mart.*

Dolor inflammatorius circa ſyſtema uropoieticum ſiniſtrum.

Heri noctu caluit, doluit circa lienem ſiniſtrum, dolor ductum ureteris illius lateris ſequitur. Dolor itidem paulo ſupra annulum

nulum abdominis ſiniſtrum ; lingua alba ; Corpus juvenile, robuſtum, euchymum. Fiat

Venæ ſectio in brachio.

Enema cum oleo.

Potus emolliens.

Mixtura oleoſa.

Nota. Ante octo dies percuſſus ad annulum abdominalem illius lateris eſt.

Unguentum camphoratum ad locum.

Sanguis cum cruſta.

Die 14. *Mart.*

Melius ſe habet per omnia.

Repetita priora ſunt.

A meridie ob tumorem teſticuli dolentem ejusdem lateris

ſecta denuo vena in brachio,

cataplasma emolliens ad teſtem

decoctum emolliens,

mixtura antiphlogiſtica.

Sanguis cum cruſta.

Die 16. *Mart.*

Nulla febris prorſus; teſticulus ſiniſter antea tumens, dolensque adplicato cataplasmate minus dolet, tumet.

Die 19. *Mart.*

Bene per omnia ſe habet. Adplicatum eſt emplaſtrum diachylon cum gum.

HISTORIA MORBI V.

Die 23. *Mart.*

Hepatitis biliosa.

Murarius annorum 26. Die 21. Mart. horruit, æſtuavit. Dolor punctorius in hypochondrio dextro, ſitis, febris, pulſus celer, fortis, durus. Dolor per totum latus dextrum, fere ad claviculam usque. Reſpiratio bona, tuſſis nulla. Facta

Venæ ſectione

Cruſta ſumme phlogiſtica, craſſa, tenax, uti etiam totus reliquus ſanguis. Levamen.

Decoctum hord. c. oxymell.

Mixtura antiphlogiſtica.

Die 24. — 26. *Mart.*

Dolor, febrisque recruduit. Facta eſt Venæ ſectio ſecunda.

Sanguis cum cruſta tenaciſſima, craſſa. Pulſus inde die ſequenti mollis, celer; dolor denuo augetur. Datum

Emulſum camphoratum cum gr. v. camphoræ.

Mixturæ antiphlogiſticæ addita pariter ſunt duo grana.

Applicata veſicantia.

Die

Die 28. *Mart.*

Dolor mitior longe, omnia meliora. Lingua alba, flava, mucoſa.

Die 29.—31. *Mart.*

Noctu delirium leve. Pulſus celer. Denuo veſicantia duo.

Eadem omnia.

Mortuus.

Nota. Unde morbi hujus malignitas? a primis viis neque ante, nec tempore morbi purgatis.

Conveniſſet poſt primam venæ ſectionem emeticum. Nocuit ſecunda venæ ſectio, idem enim morbus erat cum pleuritide bilioſa.

HISTORIA MORBI VI.

Die 24. *Mart.*

Peripneumonia bilioſa.

Puella annorum 36 antea ſane, die 22. Mart. horruit, æſtuavit. Pectus oppreſſum, dolor punctorius lateris.

Facta venæ ſectio. Nulla cruſta. Altero die

altera venæ ſectio cum cruſta. Tandem

Die 24. *Mart.*

in noſocomio translata exhibuit, linguam flavam, ſitim exiguam, nauſeas. Oppreſſio

 pecto-

pectoris magna, dolorque sterni. Pulsus fortis, plenus.

Emeticum.

Vomuit biliosa multa. Pectus multo levius meliorque respiratio, nullus dolor thoracis.

Die 25. Mart.

Hodie magis febricitat, pulsus plenus, fortis, respiratio difficilis, dolorque thoracis.

Emulsum camphoratum cum gr. jv. camphor. &

Vesicans.

Die 26. Mart.

Omnia meliora.

Die 27. Mart.

Ad vesperam recrudescebant omnia. Gravis admodum oppressio, dolorque acutior, latior, pulsus plenus.

Facta venæ sectione crusta summe phlogistica, crassissima. Exiguum levamen, & tantum fere momentaneum, noctu delirat, pallet, mane sequenti dolor lateris supra modum acutus, pulsus mollis, celer, debilis. Data

Grana vj camphoræ in emulso, & tria in mixtura, adhuc duo vesicantia.

A

A meridie ejusdem diei facilior respiratio, dolor minor, mentis præsentia. Omnia multum meliora.

Die 28. *Mart.*

Noctu deliria. Sputa sanguine striata. Dolor levior, minor oppressio. Eadem medicamenta. A meridie sputa sanguinea, sed coloris obsolete rubri.

Die 29. *Mart.*

Noctu quietior, sibique præsens; pulsus celer, non durus, sputa cruenta. A meridie mortua.

Nota. Peripneumoniam aut pleuroperipneumoniam biliosam venæ sectione vix ad exiguum tempus allevatam. Dato vomitorio oppressio, dolor thoracis emendabantur. Sed recruduere denuo, at camphora profuit.

1) Peripneumoniæ *biliosæ* facile in *malignas* transeunt.

2) Si venæ sectiones primo non profuerint, camphora (primis viis, si opus fuerit, emetico purgatis) danda præ cortice ob vim magis *antisepticam*, magis *cardiacam*, magis antispasmodicam. Pulsus licet fortis, plenusque, si primæ per venæ sectionem evacuationes non profuerint, camphoram non contraindicat.

HISTORIA MORBI VII.

Die 25. Mart.

Scarlatina.

Juvencula 21 annorum. Corpore pleno, molli, ſucculento. Parca ſemper menſtrua, & carnium loturæ ſimilia. Fluxum menſtruum ternis conſequentem vicibus per duos fere dies angina præceſſit, eodem jam præſente denuo evanida.

Veſperi diei ſabâthi leviter horruit, faucibus quarta jam vice doluit, inſtantibus menſtruis.

Die altero catamenia pallida, parca. Sitis, calores horroribus mixti. Dolor faucium, & difficilis deglutitio. Vomuit ſponte blioſa, pituitoſa. Os pravum, amarum.

Die Lunæ per diem vomitus pituitoſus aliquoties, angina, amarities oris, febris.

Die Martis eadem.

Hodie d. 25. Mart. ad nos allata ſcarlatinas efflorefcentias maxime in brachiis, pectore & cruribus exhibuit; lingua alba, mucoſa, pulſus mollis, plenus, naturali celerior. Os amarum, vomituritio.

Emetico dato pituitoſa vomuit. Frequenter dejecit. Aliquod levamen.

Die

Die 26. Mart.

Veſicans ad collum.

Mixtura ex ſambuco & ſtibio.

Decoctum hordei cum oxymelle.

Sponte aliquoties vomuit. Pauca ſemper. Minor ad veſperam febris, facilis deglutitio. Lingua prærubra, humida.

Die 27. Mart.

Omnia ut heri. Eadem remedia.

Die 28. Mart.

Non vomuit. Attamen vomendi conatus experitur. Febris moderata. Perſtant efflorefcentiæ. Fauces non dolent.

Mixtura ſambucina cum nitro & ſtibio.

Die 29. Mart.

Non vomuit. Lingua mucoſa, ſapor bonus. Febris moderata. Dilutior exanthematum rubedo, magisque albeſcens. Fauces non dolent. Alvus quater per diem mota, item noctu aliquoties. Nox bona.

Die 30. Mart.

Non vomuit. Lingua humida, vix febricitat. Os bonum, exanthematum color ferme disparuit, bonæ fauces, bonum os. Alvus ſponte aliquoties mota. Cutis, quæ antea effloruit, nunc aſperatur.

Poſt hæc nulla febris, nec ullum morboſum ſymptoma. Alvus quotidie aliquoties

ties mota hydropem ſcarlatinæ pediſſequum præverterat. Nullum enim tumoris hydropici ſignum adparuit.

HISTORIA MORBI VIII.

Die 27. Mart.

Pleuritis biliofa.

Operarius 36 annorum die 14. Martii mane horruit, æſtuavit. Per quatuor jam dies jam antea catarrhoſus fuit. Sitis magna. Dolor punctorius ad hypochondrium ſiniſtrum, & infra. Lingua alba mucoſa. Oris amaror. Eructiones amaræ. Dolor capitis. Pulſus celer, non durus. Facta eſt ordinante hoc Aſſiſtente.

Venæ ſectio.

Cruſta craſſiſſima, tenaciſſima.

Mixtura Hoffmanniana.

Die 28. Mart.

Dolor paulo mitior. Manet oppreſſio.

Emeticum.

Bilioſa vomuit. Omnia meliora. Dolor punctorius in hypochondriis & abdomine disparuit poſt vomitum.

Die 31. Mart.

Hodie mane pectus denuo oppreſſum, dolor lateris ſiniſtri, ſputa mucoſa, pauca ſitis. Lingua alba, mucoſa. Os non amarum.

Mix-

Mixtura ſtibiat.

A meridie melius. Purgabatur.

Hodie omnia meliora.

Die 3. *April.*

Bene.

HISTORIA MORBI IX.

Die 28. *Mart.*

Pleuritis biliofa.

Fœmina annorum 50. Per quatuor ſeptimanas catarrhoſa fuit, heri dolore hypochondriorum præcipue dextri, qui ſe ad mammam fere usque propagat, corripiebatur, calet, febricitatque toto tempore. Dolor eſt punctorius. Ter foris vena ſecta ſine levamine doloris, at febris inde aliquantum minuebatur. Sapor acidus, amaror oris, ſputorumque.

Emeticum.

Pulſus celer, non durus.

Die 29. *Mart.*

Vomuit copioſa, atraque. Guſtus emendatus, attamen non omnino. Dolor idem, ad attactum non augetur. Reſpiratio melior. Vix febricitat.

Mixtura Hoffmanniana.

Venæ ſectio.

Cruſta ſumme phlogiſtica.

Die

Die 31 *Martii.*

Mane pectus magis oppressum. Sputa mucosa, dolor idem. Vesperi pectus levius.

Mixtura Hoffmanniana, &
Cataplasma ad locum dolentem.

Die 1 *Aprilis.*

Paulo meliora omnia.

Omnia vix non emendata.

Die 5 *Aprilis.*

Bene habet.

Nota. Venæ sectio, etsi adsit phlogosis, tamen nullum aut momentaneum levamen affert, si primæ viæ saburra biliosa graventur. At hac ejecta, si phlogosis perseveret, vel etiam augeatur, insignis utilitas habetur ex venæ sectione & constans levamen.

HISTORIA MORBI X.

Die 28 *Martii.*

Variolæ. Puella 17 annorum, nunquam menstruata, heri (27 Martii) dolore lumborum, calore absque frigore prægresso, pectoris oppressione corripitur. Dolor hypochondrii sinistri. Oris amaror. Fiat

venæ sectio;
mixtura Hoffmanniana.

Die

Die 29 Martii.

Sanguis cum crusta crassa, tenaci.

Mixtura Hoffmanniana.

Parum emendata sunt symptomata. Dolor etiam in abdomine.

Dato emetico vomuit copiosa biliosa. Dolor lumborum perstat. Per intervalla delirat. Prostant variolæ. Dolor ad scrobiculum cordis, attactum non ferens.

Die 1 Aprilis.

Pectus, abdomen &c. emendata. Pauca febris. Variolæ confluentes, boni tamen coloris. Exiguæ, complanatæ, intropressæ, plurimæ discretæ. Copiose bibit sequens decoctum:

℞. Decocti hordei ℔. jß.
Spirit. vitrioli ʒ. j.
Mucilag. femin. cydonior. unc. jß.
Sacch. thomaei q. f.

Os variolis plenum. Facies tumere incipit; oculi lacrimosi; Deglutitio dolorosa.

Die 5 Aprilis.

Variolæ confluentes, complanatæ, intropressæ, boni omnes coloris. Salivatio copiosa. Omnia reliqua bona. Aucta est dosis spiritus vitrioli ad ʒ. jß. Variolæ exsiccantur in facie.

Die

Die 6 Aprilis.

Facies incipit detumeſcere, manus non tument. Ceterum commode ſe habet.

Die 7 Aprilis.

Minor ſalivatio; tumor faciei vix aliquis. Variolæ in facie areſcunt. Manus non tument. Lotium copioſius hodie redditur.

Clysmata paulo acriora.

Præſcripſi

℞. Decoct. hordei cum oxymelle ℔ jß.
Spiritus vitrioli ℥. jß.
Salis polychreſt. unc. ß.
M.

Alvus ab enemate bis copioſe reddita. Veſperi denuo enema. Quater alvum poſuit copioſam.

Die 8 Aprilis.

Urina copioſior. Repetitum
Emulſum cum manna unc. ij.
Spiritus vitrioli dr. jß.
Sal. polychreſt. unc. ß.

Omnia ſiccantur. Pectus liberum potiſſimam partem. Denuo ſaliva copioſior. Facies non tumet amplius. Manus nunquam tumuere.

Die 10 Aprilis.

Alvus aliquoties mota, bene habet, continuo dormit placide, denuo ſubinde ſalivatio redit. A meridie valde febricitat. Po-

tum-

tum invita aſſumit, & parcum, etſi bene, deglutiat. Dolor inter tuſſiendum punctorius in thorace.

Die 12 *Aprilis.*

Salivatio ſubinde redit. Urinæ copioſæ. Alvus ſale amaro & manna, item enemate ſæpius cum levamine movetur. Dormit noctu, ſuique ſemper compos eſt.

HISTORIA MORBI XI.

Die 29 *Martii.*

Famulus 45 annorum, per tres ſeptimanas ægrotat. Dolor primo in iſchiade per quatuordecim dies. Dein in acetabulo dextro, pertingens ad genu usque. Ceteroquin robuſtus, ſanusque per omnia. Iſchias.

Mixtura ſalina.

Decoct. bardanæ cum roob ſambuci.

Veſicans ad locum dolentem.

Die 31 *Martii.*

Dolor auctus a veſicante, Febricitat. Stranguria.

Venæ ſectio.

Decoctum emolliens.

Mixtura Hoffmanniana.

Die 5 Aprilis.

Cum bene ſe habeat, per methodum mere antiphlogiſticum, at ob datam mixturam ſalinam iterum febricitet, facta eſt venæ ſectio ſecunda.

Sanguis cum cruſta.

Die 7 Aprilis.

Dolore denuo recrudeſcente ob locum veſicante eroſum intempeſtive exſiccatum, abiit ex noſocomio, cum novum illi veſicans pararetur.

HISTORIA MORBI XII.

Die 1 Aprilis.

Pleuritis biliosa.

Operarius 24 annorum. Heri horruit, æſtuavit, noctu ſudavit, dolor punctorius lateris dextri, oppreſſio pectoris, reſpiratio difficilis, ſitis ſat magna, tuſſis, ſputa mucoſa, os amarum, eructiones amaræ, nauſeæ. Dolor capitis, *dolor ad ſcrobiculum*, lingua mucoſa, ex albo flava. Die 31 Martii facta venæ ſectione cum *exiguo & momentaneo levamine.*

Emeticum.

Vomuit multa bilioſa, minor oppreſſio, minor dolor, minor ſitis.

Mixtura ſalina.

Die

Die 4 Aprilis.

Nulla oppreſſio, nullus dolor. Pulſus mollis, paulo celerior heſterno. Sitis.

Die 5 Aprilis.

Sitis aucta, pulſus celerior, fortior. Dolor rediit, attamen exiguus. Lingua alba.

Venæ ſectio.

Cruſta.

Die 6 Aprilis.

Pulſus celerior, ſitis major. Mane

Venæ ſectio.

Cruſta. A meridie, cum pulſus perſtaret celer, fortisque una cum ſiti, denuo

Venæ ſectio.

Die 7 Aprilis.

Melius per omnia ſe habet.

Die 8 Aprilis.

Omnia longe meliora. Sputa fere nulla.

Die 9 Aprilis.

Febris pauca. Reliqua bona.

Die 10 Aprilis.

Febris paulo magis inſurgit, pectus bonum.

Venæ ſectio ad unc. viij.

Cruſta tenax.

Die 11 Aprilis.

Omnia longe meliora. Sputa mucoſa uti heri. Nulla febris.

Bene per omnia ſe habet.

Nota. Opus eſt, ſubinde emetica repetere, quin poſt emeticum alvus aperta ſervari debet mixtura ſalina.

Pleuritis hæc bilioſa abiit in *inflammatoriam*. Si *bilioſa inflammatoria* juncta ſit, cuinam prius medendum? Quæſtio gravis & practica.

HISTORIA MORBI XIII.

Die 4 Aprilis.

Pleuritis.

Vidua 30 annorum. Menſtrua ante quatuordecim dies non rediere. Fecit paulo ante tempus menſtruum venæ ſectionem. Per octo dies catarrhoſa. Modo per tres dies dolor punctorius in latere dextro; tuſſis multa; vix aliqua febris; ſputa ſtriata.

Decoctum cum oxymell.
Mixtura Hoffmanniana.
Venæ ſectio.

Cruſta magna.

Die 5 Aprilis.

Dolor mitior; pectus adhuc oppreſſum. Sputa veſperi ſanguine ſtriata; ſputa mucoſa.

Die

Die 6 *Aprilis.*

Sputa mucosa, sauguine striata; pulsus plenus, fortis.

Venæ sectio.

Crusta magna.

Die 7 *Aprilis.*

Febris, dolorque continuarunt. Sputa mucosa; oppressio tamen manet adhuc aliqua.

Mixtura stibiata.

Die 8 *Aprilis.*

Minor oppressio; subinde tamen inter tussiendum dolorem adhuc punctorium sentit. Sputa plura, mucosa, semicocta, cum multis striis sanguineis. Pulsus non celer, sed fortior & duriusculus.

Mixtura Hoffmanniana.

Die 9 *Aprilis.*

Omissa venæ sectione sputa pauciora. Oppressio adhuc aliqua. Sputa mucosa absque sanguine. Pulsus absque febre, non durus.

Mixtura Hoffmanniana.

Die 10 *Aprilis.*

Pulsus bonus; manet oppressio; sputa cum sanguine.

Venæ sectio.

Sanguis cum crusta pleuritica. Post venæ se-

ſectionem febris calorque cum aliqua ſiti, at oppreſſio pectoris, & dolor punctorius evanuere.

Die 11. *April.*

Pauca oppreſſio. Nulla febris. Sputa mucoſa.

Die 12. *April.*

Pulſus fortior, non febrilis. Manet oppreſſio; dolor inter tuſſiendum punctorius.

Venæ ſectio at unc. viij.

Sputa leviter cruenta.

Nota. Fuit *latens pleuritis*, ubi pulſu bono exiſtente oppreſſio aliqua dolorque inter tuſſiendum ſe manifeſtabant.

HISTORIA MORBI XIV.

Die 4. *April.*

Pleuritis occulta chronica.

Puella 22 annorum. Feſtis natalitiis peripneumonica fuit per 6 ſeptimanas, inde convaluit; ſemel rediere poſt morbum menſtrua, attamen fere ſemper debilis a morbo, catharrhoſaque fuit. Data

Mixtura Hoffmannian, item

Mixtura pectorali ſimplici

melius habuit, dolor punctorius inter tuſſiendum ſe prodens, attamen exiguus, itemque

que oppressio quædam pectoris cum febricula, siti &c. fiat

Venæ sectio ad unc. viij.

Die 11. *April.*

Sanguis cum crusta tenaci. Pectus denuo bonum. Nulla febris nec sitis.

Die 12. *April.*

Uti heri omnia.

Nota. Pleuritidem Baglivio *latentem* seu *occultam* dictam esse existimo, quæ *diu* persistere potest absque eo, ut hominem prosternat, aut noto quodam exitu terminetur. Vult *Baglivius*, ut decubitu in utrumque latus faciendo, tussiendo, & fortiter respirando delegatur. Subinde est absque *febre*, estque non raro, imo plerumque *chronica*, *licet vera inflammatio.*

HISTORIA MORBI XV.

Die 5. *April.*

Pleuritis

Vidua 55 annorum per tres dies ægrotat. Horruit, æstuavit. Dolor punctorius in latere dextro, qui ad hypochondrium usque descendit, ubi ad attactum augetur. Respiratio oppressa. Tussis, sitis non multa, lingua alba humida.

Venæ sectio.

Crusta magna. Pulsus durus, celer. Sputa mucosa.

Die 6. Aqril.

Tussis aucta, dolor mitior. Sitis aucta.

Venæ sectio.

Crusta ingens.

Cataplasmata ad locum dolentem.

Die 7. April.

Pectus valde oppressum, dolor mitior. Tussis. Sputa mucosa.

Venæ sectio ad unc. viij.

Febris post venæ sectionem mitior, liberiora sputa, sanguis cum crusta.

Die 8. April.

Somnus noctu aliquis, omnia paulo mitiora. Sputa mucosa. Minus febricitat.

Die 9. April.

Pulsus fortis, sputa mucosa, aquosa, quædam cum sanguine. Oppressio ferme eadem, dolor vero exiguus, & tantum inter tussiendum.

Venæ sectio ad Unc. viij.

Die 10. April.

Febris vix aliqua, tussis, sputa mucosa absque sanguine. Nulla sitis. Pectus modicissime oppressum.

Die

Die 11. *April.*

Nulla febris. Pectus bonum, ſputa mucoſa.

Die 12. *April.*

Ut heri.

Nota. Dolor hypochondrii ſiniſtri *acutus*, & ad attactum auctus oſtendit pleuritidem hanc cum rheumatismo febrili junctam eſſe.

HISTORIA MORBI XVI.

Die 6. *April.*

Per duos dies ægrotat. Primo dolor auris dextræ, dein horror, æſtus, dolor punctorius infra mamma ſiniſtram. Os amarum. Sitis non magna. Pulſus celer fortis, reſpiratis difficilis.

Pleuritis.

Venæ ſectio; nulla cruſta.

Die 7. *April.*

Dolor mitior, oppreſſio eadem. Pulſus idem. Sitis. Sputa mucoſa.

Venæ ſectio, cruſta ingens.

Pulſus mollior, æque celer, oppreſſio eadem. Color faciei antea flavescens modo naturalior, modiceque ruber eſt.

Decoctum hordei cum oxymelle.
Mixtura Hoffmaniana.

 Emul-

Emulſio cum gr. ij. camphor.

Sitis non adeo magna.

Die 8. April.

Pleraque paulo mitiora.

Venæ ſectio ad unc. viij.

Sputa pauciſſima, ſemicocta. Eadem tamen oppreſſio.

Die 9. April

Oppreſſio, dolorque minor. Sputa pauca aquoſa.

Emulſio absque camphor, cum nitro.

Decoctum hordei cum oxymell.

Mixtura Hoffmanniana.

Pauca ſitis.

Die 10. April.

Sputa nulla. Exigua febris. Sitis nulla. Pectus ferme bonum.

Repetita eadem.

Die 11. April.

Febris recruduit, pectus magis oppreſſum, denuo dolor puoctorius redit.

Venæ ſectio.

Adhuc durat dolor faciei rheumaticus. Nulla febris, commode ſe habet.

Die 14. April.

Bene per omnia ſe habet.

Nota. Morbus hic *benigna reſolutione* curatus.

HI-

HISTORIA MORBI XVII.

Die 8. April.

Pleuritis biliosa.

Juvenis 16 annorum a tribus diebus dolorem punctorium, caloresque experitur. Non horruit in morbi initio. Os amarum, vomituritiones.

Secundo die morbi accepto, nescio quo medicamento vomuit biliosa multa. Inde longe minor dolor, minores calores.

Mixtura Hoffmanniana.

Decoctum cum oxymelle.

Die 9. April.

Per omnia melius se habet.

Repetita priora.

Die 10. April.

Bene per omnia se habet.

Nota. Si pleuritis biliosa diutius perseveret, id est, per aliquot dies, accedit simul *vera inflammatio* pulmonis, unde morbus *complicatus* oritur. Quod si inflammatio nimium aucta jam sit, ea indicationem suppeditabit. Unde tunc primo venæ sectio & dein, discussa phlogosi, emeticum prodest. Subinde si primis statim diebus emeticum propinetur, antequam inflammatio accedat, sola hac per vomitum evacuatione feliciter *hæc species pleuritidis* curatur. Contin-

tingit tamen, ut dato vomitorio per duos fere dies æger levamen habeat, at dein alvo permanente obſtructa, reſorptis ad vias ſecundas colluviei bilioſæ reliquiis, denuo male ſe habeat. Hinc prodeſt ſtatim poſt emeticum alvum ſervare *apertam*; fit etiam, ut poſt emeticum, & poſt unius, duorumve dierum levamen, denuo morbus recrudescere incipiat, non, ut antea a reſorptis materiæ bilioſæ reliquis, ſed ab inflammatione *vera*, quæ ſeſe formare incipit, fors ob tumultum ab emetico excitatum. Una alterave venæ ſectio, potus aciduli brevi morbo finem imponunt.

Alivo adhuc modo terminatur pleuritis aut peripneumonia bilioſa, ſcilicet ejectis per vomitum ſordibus morbus vergit in *ſtatum putridum*, ſive malignum, ubi dein camphorata proſunt.

HISTORIA MORBI XVIII.

Die 9. April.

Pleuritis.

Vir 20 annorum per quatuor ſeptimanas catarrhoſus eſt. Die ſexta Aprilis, id eſt, ante tres dies dolor ad mammam dextram punctorius. Oppreſſio pectoris. Sitis. Os

Os glutinoſum acidi ſaporis, dolor rheumaticus in brachio dextro. Pulſus celer, fortis.

Venæ ſectio.

Mixtura Hoffmanniana.

Decoctum cum oxymelle.

Sputum cruentum. Morbus ſine horrore incepit.

Die 10. *April.*

Cruſta tenax in ſanguine. Sputa non cruenta, aquoſa, mucoſa, pauca. Omnia mitiora. Nullus amplius in brachio dolor. Nonies hodie purgatus ſua ſponte. Ructus acidi. Sitis non multa. Oppreſſio pectoris, dolorque punctorius ingraveſcunt. Sitis non multa. Major denuo febris.

Die 11. *April.*

Pectus levius. Diarrhœa perſtat. Sapor acidus manet. Febris perſtat. At a meridie nulli amplius ructus acidi, nulla diarrhœa.

Venæ ſectio ad unc. viij.

Die 12. *April.*

Rediit diarrhœa. Pectus magis oppreſſum, ſputa ſanguine ſtriata. Nulli ructus. Cruſta pleuritica. Pauca ſitis.

Dedi emeticum ex tartaro emetico.

Vomuit copioſa biliosa. Poſt vomitum omnis oppreſſio omnisque dolor punctorius, uti etiam ſputum ſanguineum penitus & ad

ſtu-

ſtuporem ablatum eſt. Diarrhœa perſtitit; laudano tandem compreſſa.

Die 14. *April.*

Pectus omnino bonum. Non ſitit. Modica febris.

Decoctum hordei cum oxymell.

Die 15. *April.*

Omnino apyretos erat.

Nota. Videtur adeſſe ſimul vitium primarum viarum gravatarum colluvie prava.

Pleuritides hæ hoc menſe epidemicæ *bilioſæ* non amplius ſunt, ſed *inflammatoriæ.* Si etiam bilioſi quid ſimul in viis primis ſit, parum id eſt, & raro, ac facile diluitur potu hordei cum oxymelle. Morbi hi pulmonales non exhibent veram & eſſentialem pleuritidem aut peripneumoniam, quæ robuſtiſſimos non opinantes invadit, ſed aggrediuntur utplurimum catarrho prægreſſo; prægreſſo dolore artuum rheumatico; jungitur etiam dolor rheumaticus cum pleuritide ipſa vel peripneumonia; lingua humida, modice alba. Sitis raro magna; aut ſaltem non pro ratione mali. Sputa ad initium mucoſa; ſanguinea ſæpe. Pulſus plenus, fortis, durus ſubinde, tamen ſat mollis ſubinde. Venæ ſectiones inſigne & ſtabile levamen afferunt. Morbus nulla certa

die

dierum periodo judicatur, nulla ſputa coćta aut non niſi pauca cum multis mucoſis, albis, aquoſis, idque ab initio ſed finem usque morbi. Aliam evacuationem, per alvum, urinas, non vidi. Nulla vidi hucusque exanthemata. Veſicantibus opus non fuit. Stibiata data ſunt ad finem morbi, febre jam profligata. Tartarus emeticus profuit inſigniter. Multa habet commoda præ kermete. Solubilis eſt in mixturis. Camphora opus non fuit in hisce inflammatoriis pećtoris morbis. Camphora magis profuit in pleuritide & peripneumonia bilioſa, ut faćtis debitis evacuationibus per alvum & vomitum, morbus in *putridum ſtatum* vergebat. Emulſa nitroſa magis profuere hoc menſe.

Nota. Neglećta emetici indicati exhibitione fit, ut morbus *malignitatem* mentiatur, quin etiam illam vere induat, nullis antiſepticis curandam. Morbos jam protraćtos, & ob neglećtum emetici malignos jam viſos exhibito, etiam tardius, emetico ſæpe numero ſecure & integre curavimus. Id tamen obſervavi, ſi emeticum tardius exhibeatur, magnum quidem levamen adferri, minus tamen inſigne, quam ſi in principio fuiſſet propinatum, manet enim ple-

rum-

rumque homini etiam ἀπυρέτῳ aliqua pectoris oppressio, quæ non nisi sensim per plures dies redit.

HISTORIA MORBI XIX.

Die 10. *April.*

Pleuritis biliosa.

Chirurgus: per quatuordecim dies quotidie ad meridiem paroxysmus redit cum horrore & calore, absque subsequente sudore. Nunquam apyretos est. Toto tempore pectus oppressum. Dolor punctorius ab initio; per octo dies diarrhœa. Os amarum. Pulsus plenus, fortis.

Venæ sectio.

Die 11. *April.*

Sanguis cum vestigio exiguo crustæ. Pectus minus oppressum. Pergit diarrhœa, sitis, amaror oris.

Emeticum ex ipecacuanha.

Die 12. *April.*

Vomuit biliosa. Cessat diarrhœa. Pectus adhuc oppressum, exigua febris. Os modice aridum.

Mixtura Hoffmanniana.

Decoctum cum oxymelle.

A

A meridie denuo diarrhœa, lingua alba. Dolor in toto abdomine & pectore, non acutus, & ardor potius.

Emeticum ex tartaro emetico.

Vomuit copiosissima, biliosa.

Die 13. *April.*

Adhuc febricitat; adhuc oppressio pectoris; respiratio gravis. Sitis. Adhuc aliqui dolores obtusi pectoris, & abdominis. Universim tamen insigne levamen.

Die 14. *April.*

Pectus oppressum, pulsus plenus, celer.

Venæ sectio.

Vestigium crustæ; manet oppressio.

Die 15. *April.*

Hodie omnia meliora. A meridie febrilis paroxysmus.

Die 16. *April.*

Febricitat adhuc. Reliqua ut heri. Perstat diarrhœa.

Die 17. *April.*

Ut heri.

Venæ sectio.

Vestigium crustæ; omnia leviora. Sumit mane & vesperi

Pulverem ex rheo tosto & mirabalanis.

Die 18. *April.*

Perſtat diarrhœa. Ceterum pulſus non febrilis.

Die 22. *April.*

Modica febris. Perſtat ſitis, dolorque abdominis. Pectus modo bonum. Diarrhœa rheo, mirobalanis & laudano compreſſa. Sumit modo

Decoctum rad. altheæ.

Die 24. *April.*

Per omnia bene ſe habet. Dolor tamen adhuc in abdomine. Sumſit

Mannæ &

Salis amari āā unc. j. in libr. ij. aquæ ſolut.

Nota. Vitium primarum viarum cum inflammatione pulmonum.

Has pleuritides vocamus *leviores*, cum paroxysmo tertianæ vel quotidianæ continuæ remittentis conjunctæ ſunt.

Viden, ut diarrhœa *pertinax*, *non levans* oriatur a ſaburra ventriculo. Viden, ut diarrhœa vices emetici ſubire non poſſit.

HI-

HISTORIA MORBI XX.

Die 11. *April.*

Famulus 40 annorum a decem diebus continua laborat. A duobus diebus oppressio pectoris, dolorque punctorius. Pleuritis.

Venæ sectio.

Crusta pleuritica. Ab initio morbi surditas imperfecta.

Die 15. *April.*

Melius habet. Verum cum levamen non esset expectationi respondens, duæ adhuc

Venæ sectiones factæ sunt.

Crusta exigua. Sputa pauca cocta.

Die 16. *April.*

Pauca sputa. Major surditas, nulla febris.

Die 17. *April.*

Surditas major. Pulsus fortis, non febrilis.

Venæ sectio.

Nulla crusta.

Mixtura salina cum sale polychresto.

Usus est decocto saturato radicis altheæ, & mixtura salina; auditu restituto, sanus discessit d. 1. Maii.

HISTORIA MORBI XXI.

Die 13. *April.*

Pleuroperipneumonia.

Juvenis 22 annorum. Die 11. April horruit, caluit, capite doluit. Pectus oppressum fuit. Heri (12. April) accessit dolor punctorius lateris sinistri. Die eodem facta venæ sectio. Os siccum, lingua alba humida. Fiat secunda

Venæ sectio. Crusta.
Mixtura Hoffmanniana.
Decoctum cum Oxymell.

Die 14. *April.*

Post venæ sectionem insigne levamen. At noctu dolor lateris sinistri denuo recruduit. Febris multa. Pulsus plenus, fortis.

Venæ sectio ad unc. viij.

Crustæ vestigium solummodo. Os minus siccum. Pulsus valde celer, non durus. Cardialgia.

Emeticum.

Die 15. *April.*

Vomuit biliosa multa. Minor oppressio, respiratio facilior. Dolor punctorius minor. Sitis

Cataplasma emolliens ad latus dolens.

Die

Die 16. *April.*

Priori & hac noctu deliravit. Dolor punctorius perſeverat. Sputa lateritia pauca, plura aquoſa, mucoſa. Reſpiratio ut heri. Os non amarum. Lingua alba, mucoſa. Pulſus plenus, mollis.

Venæ ſectio ad unc. viij. Dein

Mixtura cum camphora.

Cruſta alba, non contracta. Urina fere ſanorum.

Pectus melius.

Mixtura camphorata.

A meridie denuo

Venæ ſectio ad unc. viij.

Cruſta magna, levamen dubium & vix notandum.

Adhuc venæ ſectio ad unc. viij.

Emulſum nitroſum.

Dolores abdominis. Urina *fere naturalis, paulo magis flava, non ruffa.* Cruſta profunda, paucus dolor.

Die 17. *April.*

Nullus dolor, pectus liberum. Pulſus celer, ſed mollis, ſat plenus. (Die ſeptimo judicabatur urinis) Urina cum ſedimento lateritio.

Die 18—21. *April.*

Bene ſe habet. Data

Mixtura ſalina.

Alvus mota cum multo levamine.

Nota. Emeticum, etiam ſiniſtre & absque bona indicatione per epicraſin & probe dilutum exhibitum, minus longe nocet, quam venæ ſectio citra indicationem facta.

HISTORIA MORBI XXII.

Die 13. *April.*

Dyſpnoia.

Puer 14 annorum. Per tres ſeptimanas catharrſus fuit. Catarrho per octo dies ceſſante ſumſit hauſtum frigidæ corpore æſtuante, inde tuſſis, raucedo, oppreſſio pectoris, ardor pectoris. Non ſitit. Capite dolet. Graviſſima dyſpnoia. A quatuor diebus dolor punctorius in hypochondrio ſiniſtro. Pulſus naturali celerior.

Venæ ſectio

Decoctum cum oxymelle.

Mixtura Hoffmanniana.

Die 14. *April.*

Reſpiratio vix non omnino bona, exigua in ſanguine cruſta. Tuſſis raro. Sputa cocta, multa.

Mix-

Mixtura Hoffmanniana cum tartaro emetico gr. j.

Pulſus paulo celerior, plenior, ſitis aliqua.

Venæ ſectio ad unc. viij.

Nulla cruſta, nulla febris, nulla oppreſſio. Reſpiratio libera. Sputa aquoſa multa. Raucedo.

Die 15. *April.*

Bene ſe habet. Purgabatur aliquoties.

Die 16—17. *April.*

Noctu denuo multum tuſſitabat.

Mixtura ſalina.

Bene ſe habet.

Movenda alvus leniter, affluxus humorum a pectore revocandus ad inteſtina per

Mixturam ſalinam.

Dimiſſus ex noſocomio eſt paulo poſt. Sed rediit poſt aliquot dies cum ardore pectoris, difficili reſpiratione, oris amarore. Datum emeticum eſt, melius habuit. Data poſtmodum eſt mixtura ſalina, ſubinde mixtura ſtibiata, interpoſita ſemel exigua venæ ſectione. Bene habuit per omnia. Sed iterum *ardorem* thoracis queritur, pectus oppreſſum. Cardialgia, caput grave, oris amaror, ructus. Vomuit ſponte bilioſa. Datum denuo eſt emeticum & omnia ſymptomata evanuere.

Mixtura ex ſalibus & tinctura rhei aquoſa, item mixtura ſtomachica.

Convaluit paulo poſt.

HISTORIA MORBI XXIII.

Die 14. *April.*

Febris continua remittens biliosa.

Puella per octo dies quotidiana correpta, nunquam plene apyretos. Exacerbatio nocturna eſt. Reſpiratio difficilis. Oppreſſio pectoris. Cardialgia. Os amarum. Acta fluunt menſtrua. Sitis.

Emeticum.

Die 15. *April.*

Reſpiratio minus difficilis. Oppreſſio minor. Minor cardialgia. Os adhuc amarum. Ructus amari.

Denuo emeticum.

Die 16. *April.*

Plus febricitat. Major oppreſſio. Os ſiccum. Pulſus plenus, fortis.

Venæ ſectio.

Nulla cruſta. Parum febricitat. Eadem oppreſſio. Nulla ſitis. Os amarum. Ructus amari. Nulla ſitis.

Mixtura ſalina.

Die

Die 17. *April.*

Purgata aliquoties. Bene habet.

Nota. Morbus hic *peripneumoniam biliosam* simul exhibet. Contingit

1) ut *continua remittens biliosa* abeat in *peripneumoniam etiam pleuritidem biliosam*.

2) ut *continua remittens biliosa* juncta sit *pleuritidi aut peripneumoniæ biliosæ*.

3) Ut pleuritis aut peripneumonia biliosa *terminetur in continuam remittentem*. Omnium trium casuum exempla habuimus plurima.

HISTORIA MORBI XXIV.

Die 14. *April.*

Peripneumonia biliosa.

Juvenis 20 annorum. Ante 3 dies horruit æstuavit. Horrores vagi. Oppressio pectoris. Respiratio difficilis. Os amarum, mucosum, cardialgia. Sitis, pulsus non multum febrilis.

Emeticum.

Die 15. *April.*

Vomuit viridia absque levamine. Eadem adhuc symptomata.

Decoctum hordei cum oxymelle.

Pulsus a meridie modice febrilis. Eadem ceteroquin symptomata.

Die 16. *April.*

Poſt vomitum copioſum, bilioſum, longe melius per omnia ſe habet.

Die 17. *April.*

Modica febris.

Venæ ſectio & dein

Mixtura ſalina.

A facta venæ ſectione pejus habuit. Febricitavit, major oppreſſio. Hinc

Mixtura ſalina cum ſal. polychreſt. dr. j.

Die 21. *April.*

Omnia ut heri. Abdomen dolens. Continuata mixtura ſalina; oppreſſio pectoris. Qua non ceſſante denuo

Venæ ſectio.

Inde nulla oppreſſio. At nocte proxima paroxysmus intermittentis cum frigore ſcilicet & calore ſubſequente. Pectus manſit bonum.

Mixtura ſalina.

Die 23 *April.*

Denuo paroxysmus ſed mane & absque frigore.

Die 23. *April.*

Continuatus eſt mixtura ſalina dein data ſunt ſtomachica & ſanatus eſt.

Nota.

Nota. Cum repetere venæ ſectiones liceat, etiam pluries, modo indicata ſint, quare non liceat etiam repetere vomitoria frequentius, ſi illa fuerint indicata.

Nota. 1) Viden traductas ſordes bilioſas ad vias ſecundas.

2) Prima venæ ſectio nocuit, at vero profuit altera, ſæpe enim ſupervenit vera inflammatio ex motu febrili nimis diu durante.

Aliquoties obſervavi pleuritidem aut peripneumoniam bilioſam deſinere in intermittentem, leviter tamen abigendam.

HISTORIA MORBI XXV.

Die 15. April.

Saburra bilioſa.

Juvencula 20 annorum. Per quinque ſeptimanas queritur cardialgiam, oris amarorem, ructus amaros. Per annum nulla habuit menſtrua, tandem ante tres ſeptimanas rediere.

Emeticum.

Die 16. April.

Vomuit bilioſa. Dolor perſtat.

Mixtura ex mentha & caſtoreo.

Die

Die 17. April.

Cardialgia ceſſat. Dolores rheumatici, dolor rheumaticus genarum, gingivarum, ſive odontalgia rheumatica.

Curata eſt cortice.

Nota. 1) Saburra hæc bilioſa absque alio ſymptomate hic adeſt, quod hac tempeſtate raro contingit. Plerumque enim pectus afficitur.

2) Saburræ hæ etiam tempore æſtivo, item autumnali copioſæ ſunt, ſed in intermittentes, continuas remittentes, quin etiam malignas, in dyſenterias abeunt. Morbus ſemper idem quidem eſt, verum diverſam tamen formam induit ob diverſam corporis noſtri diſpoſitionem. At in quo conſiſtit hæc dispoſitio corporis & temporis, cum eandem bilioſam ſaburram tam varios producere morbos videmus?

HISTORIA MORBI XXVI.

Die 16 Aprilis.

Pleuritis. Sartor 27 annorum. Heri veſperi riguit, æſtuavit; dolor punctorius in thoracis dextri parte antrorſum verſus; reſpiratio diffi-

difficilis; oppreſſio; ſputa mucoſa, tenacia; ſitis.

Venæ ſectio.

Nulla cruſta.

Die 17 *Aprilis.*

Os amarum; oppreſſio minor; dolor punctorius.

Venæ ſectio.

Cruſta. Dolor circa ventriculum auctus ad attactum; os amarum; ructus amari; reſpiratio melior.

Emeticum.

Die 18 *Aprilis.*

Pectus non oppreſſum; reſpiratio bona; pondus circa ventriculum, dolorque premens evanuit. At ad veſperam os amarum; ructus, cardialgia, pectus oppreſſum; reſpiratio difficilior.

Emeticum.

Die 19 *Aprilis.*

Multa bilioſa cum magno levamine vomuit. Alvus aliquoties mota eſt. Reſpiratio bona; os bonum; febris vix ulla.

Die 20 *Aprilis.*

Ut heri.

Die 21 *Aprilis.*

Hodie magis febricitat. Os modice amareſcere incipit. Oppreſſio, dolorque pun-

punctorius ad mammam dextram; sputa mucosa, simulque lateritia.

Venæ sectio ad unc. viij.

Crusta pleuritica. Post venæ sectionem sudor universalis, & levans ortus, durabat ultra 12 horas.

Die 22 Aprilis.

Vix ulla oppressio; vix aliqua febris. Os bonum; sputa mucosa. Vesperi denuo

Venæ sectio ad unc. viij.

Crusta pleuritica sat magna. Insigne levamen.

Die 23 Aprilis.

Manet solum adhuc dolor exiguus punctorius in latere thoracis dextro; nulla febris. (Pleuritis *Baglivii* occulta.)

Die 25 Aprilis.

Noctu dolor latus deseruit; sed abdominis latus correspondens occupavit. Non sitit. Pulsus non febrilis, sat fortis.

Venæ sectio ad unc. viij.

Crusta. Exiguum levamen. Vomuit paulo post viridia, & dolor omnis evanuit.

Data est postmodum

Mixtura salina, item

Tinctura rhei aquosa; demum

Mixtura stomachica.

Sanatus discessit die 1 Maji.

No-

Nota. Vide *pleuritidem biliofo-inflammatoriam*, quæ adminiftratis venæ fectionibus manfit folum *biliofa.* Hac emeticis repetitis curata, rediit pleuritis *inflammatoria.* Plura hic afferri poffent de *mutationibus*, aut *fucceffionibus* morborum.

HISTORIA MORBI XXVII.

Die 16 Aprilis.

Pleuritis.

Juvenis 16 annorum. Ante quinque dies æftuante corpore frigidam haufit. Inde riguit, caluitque. Secundo die acceffit dolor lateris finiftri punctorius; oppreffio pectoris; refpiratio difficilis. Vomuit biliofa fponte prima die. Cardialgia; abdomen dolens; pulfus mollis, celer. Fiat

Venæ fectio ad unc. viij.

Melius per omnia habuit poft primam venæ fectionem.

Die 17 — 22 Aprilis.

Nullum levamen poft fecundam venæ fectionem, fiat tertia

Venæ fectio.

Crufta. Magnum levamen & conftans.

Bene fe habet.

No-

Nota. Contingit, ut, etſi vera ſimul pleuritis ſit; levamen tamen adeo magnum non ſit poſt venæ ſectionem, quia adjuncta ſimul eſt *bilioſa ſaburra*, qua detracta, ſanguis magis dominatur.

HISTORIA MORBI XXVIII.

Die 26 Aprilis.

Saburra bilioſa.

Juvencula 18 annorum. Quater univerſim menſtruavit. Per duos menſes nulla menſtrua; poſt hoc autem tempus, ex quo menſtrua emanent, vertigo, & ſubinde leves leipothymiæ. Heri (27 Aprilis) caluit præter modum; friguit poſtmodum. Acceſſere per intervalla convulſivi brachiorum motus & momentaneæ contractiones. Dolor punctorius lateris ſupervenit, brevi tamen evanidus. Pectoris oppreſſio & tuſſicula ſicca perſtant. Dolor in lumbis & inguinibus. Lingua impura, flava; ſapor aſſumptorum amarus; cardialgia. Non febricitatat.

Die 29 Aprilis.

Die 27 Aprilis aſpectu infantis convulſi territa ægrotare cepit. Heri veſperi convulſa aliquoties fuit, truncus corporis in al-

altum projectus. Brachia convulsa; plerumque tamen mens constitit. Mane data sequens:

℞. Aquæ florum chamomill.
—— menth. āā. unc. iij.
Pulveris cort. peruv. dr. iij.
Extract. hyoscyam.
Camphor. āā. gr. ij.
Tinctur. castorei ʒ. j.
Syrup. diacodii unc. j.
M.

Ter per diem convulsa fuit.

Die 1 *Maji.*

Nox bona; nulla convulsio. Repetita eadem sunt. Bis hodie convulsa fuit. Per totam vitam a minima re sæpius terrefiebat, nunquam tamen nisi nuper convellebatur.

Die 2 *Maji.*

Nox bona; nullæ convulsiones. Repetita priora sunt.

Die 3 *Maji.*

Nullæ convulsiones. Repetita priora.

Die 5 *Maji.*

Denuo bis convulsa fuit hodie, sub paroxysmo sui non conscia. Artus omnes, brachia præcipue jactitantur. Os non spumat.

Nota. Heri omiſſum extractum hyoſciami; at hodie denuo additum fuit.

Die 6 Maji.

Bene habet; non eſt convulſa.

Die 7 Maji.

Non eſt convulſa.

HISTORIA MORBI XXIX.

Die 28 Aprilis.

Rheumatiſmus non febrilis.

Fœmina 25 annorum maritata, ante annum peperit præmaturum & mortuum fœtum. Poſt partum curata ex uteri prolapſu. Menſtrua ſunt ordinata, ſed graveolentia, modice tincta. Tempore intermedio fluor albus, non corrodens. Ad anamneſin pertinet, quod maritus ante quinque ſeptimanas capillos in vertice capitis ipſius apprehenderit, ipſamque valide traxerit; mox rumpi, aut lacerari ipſi viſum eſt aliquid in capite cum enormi dolore capitis, qui dein & reliquas corporis partes comprehendebat. Per quinque nunc ſeptimanas quæritur dolorem in vertice capitis pungentem; item vagos dolores in temporibus, ad maxillam, denteſque, ſcapulis, ſterno, genu-

nibus. Nulla febris. Lingua flava. Nulla cardialgia. Appetit. Os sapidum.

Mixtura salina cum tinctura rhei.

Die 1 Maji.

Aliquoties purgata melius habuit; repetita priora sunt.

Die 2 Maji.

Diarrhæa aquosa admodum; dolor capitis. Reliqua bona.

Mixtura stomachica.

Die 3 Maji.

Multum purgabatur. Dolor occipitis ingens. Absque febre est. Vesicans adplicatum ad nucham; doloque evanuit. At dolor modo ad tempora & frontem.

Decoctum bardan. cich. tarax.

Die 4 Maji.

Dolor minor. Alvum quinquies posuit. Vesicans fluens.

Die 5 Maji.

Dolor in occipite nullus; at circa tempora dolor pulsans, vehemens.

Die 6 Maji.

Dolor circa tempora minor. Fluit locus in nucha vesicante tentatus.

Die 7 — 20 Maji.

Mitificatum vesicans ad tempora proficuum est.

8. Nullus amplius dolor.

9. Denuo exiguus dolor.

13. Bene per omnia ſe habet.

17. Dolores artuum quæritur. Sumit ſuccos recentes herbarum.

20. Curata reliquit noſocomium.

HISTORIA MORBI XXX.

Die 29 Aprilis.

Saburra biliofa.

Juvencula 18 annorum, ante tres ſeptimanas prima menſtrua habuit. Per hyemem ſæpius doloribus articulorum laborabat. Ante quinque dies dolor capitis pungens; pauca ſitis; nulla febris; linguá alba. Vomuit aſſumpta jam per tres dies; os amarum.

Mixtura ſalina, & dein
Emeticum.

Die 1 Maji.

Pulſus non febrilis, ſed fortis; dolor totius capitis continuus, pungens; lingua biliofiſſima. Heri menſtrua prodiere. Moroſa & ægre reſpondens ad interrogata. Pulſus naturalis.

Venæ ſectio.

Tota die non vomuit. Sanguis absque cruſta.

Die

Die 2 Maji.

Poſt venæ ſectionem omnia eadem. Lingua alba, flava, mucoſiſſima. Nulla prorſus febris. Delirium taciturnum.

Die 3 Maji.

Cum nihil aſſumeret ore præter decoctum cum oxymelle, datum bis per diem,

Enema eſt paulo acrius.

Datum hodie etiam eſt

Emulſum purgans, &

Veſicantia.

Die 4 Maji.

Pulſus admodum celer; mentis impos & comatoſa.

Mixtura camphorata.

Die 5 Maji.

Mortua ante prandium.

HISTORIA MORBI XXXI.

Die 29 Aprilis.

Fœmina 42 annorum. Semper bona menſtrua. Die 27 Aprilis poſt multos aliquot dierum labores horruit, æſtuavit, intercedente tamen ſæpius frigore. Sitis, dolor ad latus dextrum, cui incumbere nequit, pauca tuſſis. Sputa ſanguine ſtriata, mucoſa

Pleuritis vera.

Os amarum; lingua alba; dolor ad ſcrobiculum. Diarrhæa jam inde a die morbi primo.

Decoctum cum oxymelle.

Venæ ſectio ad unc. viij.

Die 1 *Maji.*

Diarrhæa ceſſat. Cruſta pleuritica. Dolor minor. Fiat denuo

Venæ ſectio ad unc. viij.

Cruſta ingens. Levamen.

Die 2 *Maji.*

Venæ ſectio ad unc. viij.

Cruſta ingens. Levamen.

Die 3 *Maji.*

Somnus tranquillus; ſputa glutinoſa ſanguine ſtriata; pectus multum emendatum.

Die 4 *Maji.*

Omnia longe meliora. Sputa non cocta, ſed mucoſa, ſanguine ſtriata.

Die 5 *Maji.*

Bene per omnia. Sputa pauca, mucoſa, ulla cocta. Difficulter tamen adhuc in latus dolens cubat. (Difficilis decubitus in *latus dolens* ſæpe obſervatur.)

Die 6 *Maji.*

Bene per omnia. Sputa pauciſſima mucoſo-glutinoſa.

Die 7. Maii.

Bene per omnia. Difficulter cubat in latus dextrum. Nulla prorſus febris, nulla ſputa.

Cum dolor aliquis in latere dextro, dum in illud cubaret, continuo perſiſteret,

Secta vena eſt.

Cruſta pleuritica. Nullus dolor amplius. Bene ſe habet.

Nota. Bilioſam ſaburram junctam fuiſſe credo, quæ tamen *alvo diarrhœica* eliminata feliciter eſt. Id quod ſubinde natura *ſponte* facit, at ſi medicamento id tentes, errabis. Melius adhuc in caſu dubio clysma erit.

Nota. Viden latentem pleuritidem, item rationem, quare pleuritis tam facile recidivet, quoniam videlicet nunquam ex integro ſoluta fuit. Viden originem tuberculorum pulmonalium.

HISTORIA MORBI XXXII.

Die 30. April

Pleuritis chronica.

Puella 15 annorum. Nunquam menſtruavit, per tres menſes dolorem pungentem experitur ad coſtas ſpurias dextras, va-

gos horrores & pectoris oppressionem ex catarrhosa dispositione. Ante quatuordecim dies dolor ibidem auctus est, omniaque reliqua symptomata præcedente horrore, & æstu. Sumsit purgans cum exiguo levamine. Ter vena secta est cum multo levamine. Crusta summe phlogistica. Verum ante octo dies dolor recruduit, qui tamen modo per duos fere dies tantum per intervalla redit. Sudat per omnes hos quatuordecim dies, non sitit. Lingua alba, sicca. Tussis. Nulla sputa. Cubat in utrumque latus, difficilius tamen in latus dolens.

Die 1. Maii.

Fiat

Venæ sectio.

Crusta. Dolor evanuit. Non sudavit hac nocte. Pulsus non multum febrilis, sat fortis.

Die 2. Maii.

Methodus antiphlogistica adhibetur.

Bene per omnia se habet.

Nota. Plures ejusmodi chronicas pleuritides ac peripneumonias curavi, in iis præcipue, qui collo oblongo, corpore gracili, thorace angusto, & fibra sunt delicatiori.

HI-

HISTORIA MORBI XXXIII.

Die 30. April.

Vir 41 annorum. Die 26. ejusd. præcedente per aliquot dies catarrho dolorem punctorium ad costas spurias dextras sentit. Tussis, oppressio pectoris, sputa pauca, glutinosa, alba utplurimum. Caput grave, sitis. Dolor inter tussiendum ad mammam utramque. Lingua sicca, ex alba viridis. Dolor ad scrobiculum, si tangatur locus. Nulli ructus. Os non amarum.

Pleuritis rheumatica

Die 27. April.

Facta venæ sectio est cum levamine.

Post venæ sectionem sumptum purgans est absque levamine.

Pulsus naturali celerior, plenus. Fiat

Venæ sectio.

Mixtura Hoffmanniana.

Decoctum cum oxymelle.

Die 1. Maii.

Crusta ingens. Dolor longe minor. Pectus minus oppressum. Sputa glutinosa, sed magis aquosa quam heri, & copiosa alba. Dolor crurum rheumaticus, ut etiam scapularum.

Die 2. Maii.

Noctu somnus. Omnia leviora.

Venæ sectio ad. unc. viij.

Crusta ingens.

Die 3. Maii.

Tumores manuum, artuum immobilitas. Urina, quæ hucusque rufa fuit, hodie est fere naturalis. Febris perstat, attamen absque pomeridiana exacerbatione, quæ quotidie venerat cum frigore.

Die 4. Maii.

Dolor pedum, manuumque minor, at major pectoris oppressio, dolorque, item dolor faucium. Dedi

Saturatum decoctum radicis altheæ.

℞. Roob sambuci.

Pulp. prunorum āā unc. ij.

Nitri puri

Cremoris tartari āā dr. ij.

M.

Fiat venæ sectio ad unc. xij.

Crusta contracta, pleuritica. Pectus melius, at artuum dolores ingravescebant. Sputa mucosa, cocta aliqua. Alvus non movetur.

Die 5. Maii.

Eadem ut heri.

Emulsum camphoratum.

Die

Die 6. Maii.

Ad malleolum & genu dextrum dolor, non magnus. Cetera omnia ſat bona. Sputa mucoſo-glutinoſa. Ad veſperam pectus magis oppreſſum.

Die 7. Maii.

Pectus liberius, ſputa pauciora, at dolores & tumores extremorum majores. Pulſus celer, non durus, ſat fortis.

Die 9. Maii.

Cum heri & hodie, uti hucusque quereretur pectoris in ſterno levem oppreſſionem, ardoremque, hinc hodie

Venæ ſectio ad unc. viij.

Cruſta. Pectus bonum.

Die 10. — 11. Maii.

Bene habet.

Nota. 1) Pleuritis adeſt vel abeſt, prout dolor artus extremos deſerit vel occupat.

2) Subinde ſtata periodo dolor rheumaticus redit, vel febrili more exacerbatur præcedente frigore.

HISTORIA MORBI XXXIV.

Die 3. Maii.

Catarrhus.

Juvenis 20 annorum. Per octo dies catarrhoſus eſt, calet per intervalla. Pectus

non

non oppreſſum. Reſpiratio facilis. Sitis aliqua. Tuſſis, ſputa mucoſa. Os glutinoſum.

Decoctum cum oxymelle.

Mixtura Hoffmanniana.

Febris moderata. Pulſus ſat fortis. Aliqua febris.

Die 4. Maii.

Os non glutinoſum. Exigua emendatio.

Venæ ſectio.

Cruſta gelatinoſa. Major emendatio.

Die 5. Maii.

Melius per omnia. Sputa mucoſo-aquoſa.

Die 6. Maii.

Bene per omnia. Sputa mucoſo-aquoſa admodum copioſa.

Die 7. Maii.

Venæ ſectio ad unc. viij.

Veſtigium cruſtæ. Raucedo hodie acceſſit. Nulla a meridie, aut pauca febris.

Emulſum purgans.

Die 8. Maii.

Modica febris. Raucedo perſtat.

Die 9. Maii.

Modica febris.

Die 10—11. Maii.

Perſtat febricula.

HISTORIA MORBI XXXV.

Die 4. Maii.

Febris rheumatica.

Juvenis annorum 20 ante septem dies horrore a lumbis incipiente corripitur, calet, horretque per intervalla. Dolor artuum lacerans, in manibus præsertim & tibiis, non constans tamen; ante unum diem dato emetico vomuit pituitosa pauca, & paucam bilem absque levamine.

Decoctum cum oxymelle.
Mixtura Hoffmanniana.
Venæ sectio.

Nulla crusta.

Die 5. Maii.

Parvum levamen.

Mixtura ex roob sambuci.
Decoctum c. oxymell.
Emulsum cum gr. ij. camphor.

Die 6. Maii.

Motus febrilis absque topico aliquo malo. Hodie sæpius per nares antea siccas obstructasque sternutabat. *Febris rheumatica*, malo nullam adhuc certam sedem figente.

Die 7. Maii.

Pulsus mollis, valde celer, calor magnus. Lingua pura, sed in medio fissa, aspera.

Emul-

Emulſum nitroſum.

Mixtura cum roob ſambuci nulla camphora.

Die 8. Maii.

Pulſus celer, non durus. Lingua pura, ſed aſpera, fiſſaque, colore naturali, ſomnus turbatus, inter levia per noctem deliria.

Eadem mixtura.

Emulſum camphoratum.

Mucilago pro lingua.

Die 9. Maii.

Eadem. Pulſus celer, non durus, attamen ſat plenus.

Venæ ſectio ad unc. viij.

Nulla cruſta, ſanguis tamen compactus. Lingua pura, ſed ſcabra.

Die 10. Maii.

Melius ſe habet.

Die 11. Maii.

Lingua ut nuper; pulſus melior.

Die 13. Maii.

Heri & hodie ſudat multum. Lingua bona.

Die 15. Maii.

Bene ſe habet, ſed animo imbecilli ac timido eſt, ob mortem parentis & pauperiem.

HI-

HISTORIA MORBI XXXVI.

Die 6. Maii.

Pleuritis latens.

Puella 22 annorum. Ante quatuordecim dies ultima menſtrua. A biennio fere fluor albus benignus. Tempore quadrageſimæ catarrho laboravit per quatuor ſeptimanas. Potu theato inde convaluit; non tamen perfecte. Inde enim ſputa copioſa, *puriformia*, ſive cocta. Oppreſſio aliqua pectoris, & decubitus difficilis in latus dextrum. Modica febris.

Die 7. Maii.

Omnia eadem. Si decumbat in latus dextrum, dolor ſentitur in latere ſiniſtro.

Die 9. Maii.

Cum dolores continuo pectus cumque dolor accederet punctorius,

ſecta vena ad unc. viij.

Nulla cruſta.

Die 10. Maii.

Hodie primum levamen ſenſit. Pectus bonum, caput bonum. Nulla ſputa.

Die 13 — 21. Maii.

Bene per omnia. Sumit herbarum recentium ſuccos cum ſero lactis cum emolumento.

HI-

HISTORIA MORBI XXXVII.

Die 4. *Maii.*

Pleuritis biliosa.

Vir 26 annorum. Die Jovis, id est nudius tertius, riguit, caluit cum vomituritionibus, successit dolor sterni, pectoris oppressio. Os mucosum, amarum. Facta venæ sectione foris cum exiguo levamine. Lingua biliosa, cardialgia ad attactum. Fiat denuo

Venæ sectio ad unc. viij.

Crusta, aliquod levamen, sed exiguum.

Die 5. *Maii.*

Sterni major dolor, major oppressio. Pulsus non durus, non tamen debilis, celer.

Venæ sectio ad unc. viij.

Totus sanguis maxime tenax, nulla crusta. Major oppressio post venæ sectionem. Datum post 2 horas a venæ sectione

Emeticum.

Semel vomuit biliosa, quater aquosam & copiosam alvum posuit. Pulsus mollis, valde celer, & accedens ad debilitatem.

Emulsum cum gr. ij. camphoræ.

Minor dolor, eadem oppressio. Sputa nulla.

Die

Die 6. Maii.

Noctu ſomnus minus turbatus. Exiguus ſterni dolor. Minor oppreſſio. Pulſus paulo minus celer, mollis, non debilis. Nulla ſputa. Os ſiccum, non amarum. Pauca ſitis, caput liberius. Minor in abdomine dolor.

Decoctum hordei cum oxymelle, &

Emulſio cum gr. ij. camphoræ.

Ad veſperam pulſus plenior, fortior. Cetera eadem. Hodie a meridie bis flava & viridia ſponte vomuit. Cum poſt ingeſtum decoctum ſemper vomeret, idem

decoctum, ſed absque melle

datum eſt.

Die 7. Maii.

Mane pulſus fortis, plenus.

Venæ ſectio libr. j.

Cruſta tenax, craſſa. Levamen aliquod. Perſiſtente eodem pulſu a meridie denuo

Venæ ſectio ad unc. viij.

Emulſum nitroſum.

Decoctum hordei absque oxymelle.

Hodie reſpiratio modice ſtrepens eſt, difficilis ut antea.

Die 8. Maii.

Eadem omnia. At reſpiratio non ſtrepit, difficilis eſt. Ad noctem aliquoties ſin-

gultus acceſſit. Pulſus minus celer, non debilis.

Die 9. Maii.

Urina heri & hodie crocea, non ruffa. Eadem difficultas reſpirandi. Pulſus minus celer, æqualis, fortis.

Venæ ſectio ad unc. viij.

Alvus copioſa, diarrhœica. Item aliquoties ſingultus.

Veſperi veſicantia ad ſuras.

Die 10. Maii.

Pulſus hodie minus celer, mollis. Lingua arida. Facies pallidiſſima. Urina boni coloris. Pauca, vel nulla tuſſis hucusque. Hucusque nulla ſputa. (*Credo adeſſe empyema*).

Die 11. Maii.

Sputa pauciſſima, quædam coloris obſolete rubri. Urina hodie tenuis & *viridi colore.* (Urinam *virideſcentem* vidi in alio quodam homine ex empyemate defuncto) Oppreſſio eadem, præcipue circa hypochondrium ſiniſtrum.

Die 12. & 13. Maii.

Reſpiratio melior, dolor minor.

Cataplasma ad latus.

Subinde pallor, ſubinde roſeus genarum côlor. Nulla febris, nulli ſudores nocturni. Urina ſana.

Die

Die 14. *Maii.*

Reſpiratio melior, minor oppreſſio, nulla febris.

Die 15. *Maii.*

Ab aliquot jam diebus ſputa flava, multa, tenacia, quæ ipſe nobis non advertentibus ſtrophiolo excepit. Bene habet. Pectus oppreſſum.

Cataplasma.

Die 17. *Maii.*

Pectus magis emendatum. Sputa tenacia, glutinoſa.

℞. Aquæ ſambuc. unc. vj.
Oxymell. ſimpl.
— — — ſquillit. āā unc. j
Tartari emet. gr. ij.

M. D. Sig. Omni bihorio cochlear magnum.

Die 18. *&* 19. *Maii.*

Pectus bonum. Sputa minus tenacia. Cum alvo eſſet difficili, datum eſt emulſum purgans. Inde omnino bene ſe habet. Die 30. Maii ſanus diſceſſit.

HISTORIA MORBI XXXVIII.

Die 5. Maii.

Febris biliosa.

Coqua 25 annorum. Ante menſem dolore lateris ſiniſtri ad mammam fere corripitur. Secta mox vena ejusdem brachii. Dolor discesſit inde ſtatim dextrum latus occupavit, fortiorque fuit. Horripilationes perpetuæ, difficilior reſpiratio, inappetentia, dedolatio hucusque die modo ab uno, oris amarorem, ructus amaros, cardialgiam, ſi tangatur, queritur cum dolore lumborum. Pulſus febrilis.

Sumat decoctum hordei cum oxymelle.

Die 6. Maii.

Dolor in molli parte hypochondrii ſiniſtri, auctus ad attactum, dolor aliquis etiam in abdomine. Cetera ut heri, horret per vices.

Emeticum.

Vomuit biliosa multa. Dolor auctus hypochondrii disparuit.

Die 7 — 10. Maii.

Hodie apparuerunt menſtrua, bene ſe habet. Finitis menſtruis denuo datum eſt

Emeticum

ob

ob hesterni diei amarorem in ore, & cardialgiam. Vomuit multa biliosa.

Die 11 *Maji.*

Cephalalgia. Lingua nondum pura.

Mixtura salina.

Alvus inde frequenter movebatur.

Die 13, 14 *Maji.*

Bene, ita tamen, ut modica perstaret cephalalgia, cum pauco amarore.

Emeticum.

Vomuit biliosa multa, & bene habuit.

Nota. Non omnis *dolor acutus* est inflammatorius, etsi is ad attactum augeatur, & cum febre conjungatur. Hoc probe notandum in colicis doloribus.

Mense Majo circa medium, plures fuere, quibus unum emeticum non suffecit, bilis erat mucosior, tenacior, uti in vase, quo vomitu rejecto excipiebantur, videre erat.

HISTORIA MORBI XXXIX.

Die 16 *Maji.*

Peripneumonia serosa.

Juvenis 27 annorum. Per quatuordecim dies vagos horrores, mixtis caloribus experitur. Catarrhosus est. Dolores rheuma-

maticos artuum patitur; bis ſecta vena ſanguinem dedit phlogiſticum. Fiat denuo

Venæ ſectio.

Sanguis cum cruſta exigua.

Die 20 *Maji.*

Reſpiratio ſat facilis. Sitis per intervalla.

Mixtura cum ſtibio.

Calet ſebrili more.

Die 21 *Maji.*

Sputa mucoſa & copioſa. Calor febrilis minor. Melius per omnia ſe habet. Additum kermes.

Bene ſe habet per omnia. Sputa magis aquoſa.

Mixtura ſtibiata cum kermes.

Die 23 *Maji.*

Bene per omnia.

Mixtura pectoralis ſimplex cum kermes.

Die 24 *Maji.*

Mixtura cum G. ammoniac.

Modica febris. Sputa copioſa glutinoſa.

Die 24 — 31 *Maji.*

Purgatur a mixtura præſcripta. Bene ſe habet. Hucusque ſemper modica pulſuum febrilis celeritas.

Die

Die 5 Aprilis.

Bene ſe habet.

HISTORIA MORBI XL.

Die 10 Maji.

Parafynanche inflammatoria.

Homo 30 annorum, lanio, curavit ante octo dies propter dolores dentium evelli duos carioſos. Evulſio non bene ſucceſſit: radices manſerunt in ſuis alveolis. Ortus eſt tumor gingivæ, hoc diſparente læſa deglutitio. Suos adhuc perfecit labores, rus petiit. A tribus diebus nil ſolidi deglutire poteſt. Febricitat; tonſillæ ſunt inflammatæ.

Venæ ſectio.

Emulſio nitroſa.

Decoctum hordei cum oxymelle.

Gargariſma ex ſpeciebus emollientibus.

Die 11 Maji.

Sanguis phlogiſticus; inflammatio & febris minor; deglutitio minor.

Die 12 Maji.

Lingua alba, modice flava; ſputa mucoſa; dolor minor; deglutitio melior; alvus nulla; ſudor de nocte; ſomnus inquietus.

Addit. gargarism.
Nitri &
Salis ammoniac. āā. dr. j.
Enema ex ſpecieb. emollient. ſale culin. & melle.

Die 13 *Maji.*

Nox bona; deglutitio bona; nullus dolor; lingua adhuc impura; levis inflammatio. Repetet medicamenta.

Die 14 *Maji.*

Ad laxas tonſillas confirmandas datum Gargarisma adſtringens cum ſale ammoniaco.

Die 15 *Maji.*

Bene habet.

HISTORIA MORBI XLI.

Die 20 *Maji.*

Dolor ventriculi rheumaticus.

Fœmina 23 annorum. Ultima menſtrua ante quatuordecim dies ſolummodo per duos dies, nam multo aceto epoto ſiſtebantur. Inde dolor torminoſus, continuus; alvus pertinax; os mucoſum; lingua bilioſa. Oppreſſio pectoris, quæ tamen inſtituta venæ ſectione ceſſavit. Sitis multa; ardor ventriculi,

culi. Hæc omnia, præter oppreſſionem pectoris, ab octo diebus fuere aucta. Binæ venæ ſectiones cum levamine inſtitutæ. Pulſus celer, plenus, fortis.

Venæ ſectio.

Cruſta phlogiſtica.

Die 24 *Maji*.

Melius per omnia. Fiat denuo

Venæ ſectio ad unc. viij.

Cruſta phlogiſtica. Cum dolor, ardorque ventriculi ſæpius rediret, cum dolore artuum ſuperiorum rheumatico, dolore muſculorum intercoſtalium punctorio, pulſu duro, facta denuo eſt

Venæ ſectio.

Cruſta phlogiſtica. Videtur eſſe *dolor ventriculi rheumaticus*. Datum ſerum lactis valde profuit, dolores mitigati ſunt. Curata diſceſſit.

Nota. Dolor ardorque ventriculi *rheumaticus*.

HISTORIA MORBI XLII.

Die 22 Maji.

Febris biliosa.

Fœmina 24 annorum. Die Veneris apparuerunt pauca menstrua, alias ordinata; per quatuor septimanas doluit omnibus membris: die Veneris friguit, tremuit, æstuavit cum dolore capitis & ventriculi. Die Saturni mane melius se gessit, assumpsit emeticum, inde vomuit, & purgata est. Dies Dominica sine frigore & calore peracta est. Die lunæ redierunt frigus, æstus. Lingua sat pura, os amarum, sapor amarus, ructus amari, inappetentia, cardialgia ad attactum.

Decoctum hordei cum oxymelle.
Mixtura salina.

Die 23, 24, 25 Maji.

Emeticum.

Vomuit bilosa cum magno levamine. Data
Mixtura salina cum tinctura rhei aquosa,

& bene habuit, & cum subinde bis per diem vago more redirent paroxysmi, nulla tamen saburræ signa adessent, datus cortex est, & profuit. Nil aderat amplius præter cardialgiam, non a *saburra*, sed a *laxitate*; nihilominus datus cortex est.

No-

Nota. Sæpius vidi in morbis biliosis faciem totam summe rubentem, quo rubore medicus facile seducitur ad venæ sectionem cum ægri detrimento. Sedatur rubor exhibito emetico.

Nota. Febris perstat subinde, etiam sublata saburra.

Nota. Non omnis cardialgia *saburram adhuc præsentem*, sed & laxitatem significat.

Nota. Febres intermittentes mense ad finem properante

1) bilem *tenaciorem* habuere, inde solventibus pluribus opus erat, & subinde repetito emetico.

2) Sæpius præmissis evacuantibus cortice opus fuit, nec tam facile salibus cessere.

Nota. Circa finem mensis *plures* veræ inflammationes, attamen non *graves*.

HISTORIA MORBI XLIII.

Die 15 *Maji*.

Continua biliosa.

Fœmina 42 annorum, maritata, erysipelati ab aliquot annis obnoxia, menstruis per tres menses caruit. Die Jovis a secunda pomeridiana ad sextam friguit, secutus

est

eſt calor continuus. Die Veneris vena ſecta fuit, pauca apparuere menſtrua; lingua impura, fœtor oris, ructus non amari, nauſea & faſtidium ciborum &c., appetentia acidodorum, conatus vomendi. Horror ad denudationem membri. Vomuit bilioſa.

Die 17 *Maji.*

Emendatæ primæ viæ. Melius ſe habet. Ter alvum poſuit.

Die 17 *Maji.*

Veſperi dato emetico, vomuit bilioſa cum levamine.

Die 18 *Maji.*

Alvus diarrhæica.

Decoctum cum oxymelle.

Die 20 *Maji.*

Sumit hucusque ſpiritum vitrioli magna quantitate, & bene habet.

Denuo ſubdelirat. Alvum in lectum mittit viridem, quater, quinquies per diem. Pulſus fere naturalis.

℞. Rad. ſerpentar. virg. dr. ij.
infunde cum ℔. ij. aquæ, dein adde
Cort. peruv. unc. ß.
Spirit. vitrioli,
Camphor. āā. dr. j.
M.

Die

Die 23 Maji.

Alvus minus frequens, ſurgit ad alvum movendam, non delirat.

Die 24, 25 Maji.

Melius per omnia ſe habet; pulſus bonus.

Die 31 Maji.

Corticem adhuc continuat ab aliquo tempore ſcopo roborante.

Nota. 1) Parum levaminis, aut nil a venæ ſectione. Calor erat continuus, ita tamen, ut ſemper frigora intercurrerent.

2) Antequam ſumeret ſecundum emeticum, petechiæ hinc inde viſebantur boni coloris. His ſtantibus emeticum ſumſit. & dein ſpiritus vitrioli dr. jx. intra 24 horas cum miro levamine.

3) Alvum hæc fœmina omnem ſemper diarrhæicam habuit, non tamen nimiam. Alvus hæc diarrhæica in *bilioſis* morbis frequens eſt, ſequiturque aut ex neglecto emetico, aut ex reliquis materiæ bilioſæ etiam poſt emeticum reſtitantibus. Neglecto emetico abit ſæpe res in diarrhæam colliquativam. non amplius ſiſtendam.

4) Vide, quanta ſpirituum mineralium copia poſſit innoxie ingeri.

5) Item diatrhæa minuebatur inſigniter ab acido hoc vitriolico.

6) Poſt emeticum & vitrioli ſpiritum petechiæ evanuerunt. HI-

HISTORIA MORBI XLIV.

Die 10. *Maji.*

Febris quotidiana.

Homo 27 annorem in lateraria laborans ſudavit multum, finitis laboribus multa cum aliis bibit. Tunc friguit, caluit. Febri intermittente laborat; paroxysmus omni die ad tertiam pomeridianam redit. Frigus per tres quadrantes durat, calorem concomitatur, ſomnus ſat profundus per aliquot horas lingua alba, humida, os mucoſum, appetitus proſtratus, ventriculus plenus, nulla cardialgia, alvus ſtricta.

Venæ ſectio.

Die 11. *Maji.*

In ſanguine levior cruſta, per noctem multum ſudavit, dormivit, lingua flavescit.

Emeticum.

A meridie paroxysmus. Non vomuit, ter purgatis eſt. Lingua bilioſa, alvus aperta, paroxysmus.

Die 12—13. *Maji.*

Lingua impura

℞. Decoct. hord. ℔ij.

Roob ſambuc.

Pulp.

Pulp. prunor. āā unc. j.
Arcan. dupl. unc. β.
M.

Alvus aperta.

Die 14—15. *Maii.*

Veſperi paroxysmus; item lingua impura.

Die 16. *Maii.*

Hodie emeticum. Vomuit bilioſa bene ſe habet.

Die 17. *Maii.*

Bene. Veſperi paroxysmus. Lingua nondum pura.

Mixtura ſalina.

Die 18—19. *Maii.*

Nullus hodie paroxysmus. Hinc die ſequenti abiit ex nococomio. Lingua nondum pura erat; hinc recidivam patitur.

HISTORIA MORBI XLV.

Die 26. *Maii.*

Faber lignarius annorum 24 anno elapſo ex febre bilioſa in noſocomio S. T. decubuit. Hucusque integra ſanitas. Ante 14 dies faucium dolor, deglutitio difficilis, tumor tonſillarum. Poſt octiduum & tumor, & difficultus deglutitionis ſponte evanuerunt. Anaſarca.

Ab

Ab eo tempore pedes & abdomen intumuerunt tumore paſtacæo.

Die 26. Maii. In noſocomium ſusceptus. Pedum & abdominis tumor. Pulſus naturali ferme celeritate, at fortis.

Mixtura ſalina.

Die 27. Maji.

Alvus quater mota. Pulſus fortis, plenus, durus, difficilior reſpiratio.

Die 1. Junii.

Hucusque ſumpſit mixturam

Ex aqua petroſelini unc. V.
Oxymell. colchic. unc. ij.
Terræ foliat. tartari. dr. iij.
M. D.

Detumescit totum corpus.

Hoc remedio, interpoſitisque ſubinde hauſtibus ſalinis, uſus, facies, ſternum, demum & crura, ac tandem etiam abdomen detumuit. Adhibuit quoque crurum frictiones, & demum roborantia.

Pulſus fere ſemper tardus, validus, durusque obſervabatur. Febricitabat ſubinde, primis præcipue, quos apud nos exegit, diebus.

Difficilis curatu hydrops internus, uti aliquoties obſervavi. Validi arteriarum ictus, tumore licet paſtaceo per totum corpus diffuſo.

ſuſo. Hi moventia non ferunt, ſed leniſſimis ſolventibus, & aperientibus curantur.

HISTORIA MORBI XLVI.

Die 7. Maji.

Acicularius 31 annorum. Ante quatuordecim dies riguit, caluit, pectus oppreſſum. Narium hæmorrhagia & ſputum ſanguineum inter tuſſiendum per quatuor dies. Sanguis obſcurior ejectus. Os glutinoſum. Sitis multa, ſomnus profundus. Appetitus. Ante quatuor dies pectus magis opprimi cepit, & peius ſe habuit, antea enim ſemper adhuc officio ſuo fungebatur. Modo tamen modica febris.

Hæmoptyſis.

Fiat Venæ ſectio

Decoctum cum oxymell. &

Mixtura Hoffmanniana.

Die 8. Maji.

Minor oppreſſio. Cubat in utrumque latus.

Die 9—10. Maji.

Uti heri. Fiat

Venæ ſectio ad unc. xij.

Cruſta. Pectus bonum.

Die 11. *Maji.*

Pectus bonum, facies cachectica, tumida.

Die Maji.

Sumit succos recentes. Bene per omnia se habet.

Nota. Sputum hoc cruentum est vera peripneumonia inflammatoria.

HISTORIA MORBI XLVII.

Die 9. *Maji.*

Febris tertiana duplex.

Fœmina 23 annorum. Alias irregulariter menstruata; die Lunæ menses habuit sat copiosas. Die

Veneris hora octava matutina corripiebatur frigore cum subsequente calore& vomitu bilioso. Die

Sequente melius se habuit a febri tamen non fuit libera. Die

Dominica accessit paroxysmus hora undecima. Die

Lunæ hora duodecima ad noctem, & omni die biliosa vomuit. Lingua est biliosa; os amarum & glutinosum. Conqueritur de ructibus amaris, de nausea, fastidio & horrore adversus cibos.

Detur ipsi emeticum.

Die

Die 10. *Maji.*

Heri nulla febris, ſexies vomuit bilioſa mucoſa, & decies purgata eſt. Lingua purior, os non amplius amareſcit, ructus ceſſant. Poſt meridiem dabatur.

Mixtura ſalina cum tinctura rhei aquoſa.

Die 11. *Maji.*

Febris minor, lingua purior, levis flavedo faciei & oculorum. Appetit.

HISTORIA MORBI XLVIII.

Die 9. *Maji.*

Homo 21 annorum, ſutor; quintum paroxysmum febris tertianæ intermittentis hodie paſſus eſt. A die nativitatis Mariæ usque ad ferias natales Chriſti habuit febrim nunc quotidie nunc omni quarto die invadentem; multis aſſumptis profligabatur. Nunc adeſt fœtor oris, lingua bilioſa, pondus ad præcordia; quæ comedit, amara eſſe dicit æger. Non conqueritur de cardialgia, hypochondria non ſunt dura.

Febris tertiana.

Sumat emeticum.

Die 10. *Maji.*

Corpus delicti fuit materies mucuſo bilioſa, tribus vomitoriis expreſſa. Ventri-

culus dolet, os eſt adhuc amarum mucoſum, non fœtet amplius, alvus ab emetico non movebatur. Sumat

Mixturam ſalinam cui addatur ʒj. Arcan. duplic.

Die 11. *Maji.*

Heri alvum bis depoſuit. Nulla febris, dolor ventriculi imminutus. A meridie dolor capitis ſine febre, bis purgatus eſt.

Die 12. *Maji.*

Apyretos, lingua adhuc prava, ſapor bonus, alvus aperta. Additur

Mixturæ ſalinæ
Arcani duplicat. drach. ij.

Die 13. *Maji.*

Paroxysmus nullus. Dolores in ſpina dorſi ad tempus paroxysmi. A meridie alvus ſemel depoſita. Appetitus.

Die 14. *Maji.*

Bene habet. Lingua minus impura.

Die 15. *Maji.*

Bene habet, lingua tamen impura, & mane leve frigus.

Die 17. *Maji.*

Emeticum.

Vomuit materiem fœculentam, nigram & pituitoſam. Bene habet.

Die

Die 18. *Maji.*

Lingua adhuc impura. Bene habet.

HISTORIA MORBI XLIX.

Die 11. *Maji.*

Homo 39 annorum. Die ſaturni ante paſcha friguit, caluit, ſic per octo dies. Dein cecidit retrorſum, unde dolor capitis, dorſi & lumborum, vomitus multi bilioſi primo, una cum pauco ſanguine.

Febris bilioſa.

Vena ſecta.

Per aliquot dies melius. Propter dolorem capitis paulo poſt redeuntem translatus eſt ad fratres miſericordes.

dato emetico melius.

Nunc dolor capitis; reſpiratio læſa, ſputa mucoſa viridia, lingua prava, os ſubinde amarum. Ructus neque boni neque pravi.

Veſicans ad nucham.

Die 12—14. *Maji.*

Nox inquieta, ſtranguria, febris.

Emulſio cum camphora.

Venæ ſectio.

Sanguis phlogiſticus. Ardor urinæ, ſomnus.

Mixtura antiphlogiſtica.

Nitroſum emulſum.

Decoctum cum oxymelle.

A meridie ſtranguria nulla, ſitis minor, pulſus celer cum calore, alvus per quatuor dies ſtricta.

Enema.

Die 15—17. *Maji*.

Alvus ſemel. Veſicans fluit. reliqna ut heri.

Lingua impeditior, bilioſa. Caput confuſum. Pulſus celer.

Die 16. Eadem.

Emulſio purgans.

Probe purgatur, non emendatur.

Datum.

Emeticum,

vomuit plurima, profunde flava &c.

Die 18. *Maji*.

Nullum aut exiguum levamen, lingua bilioſa, os amarum, ructus, primæ viæ bonæ, minus ſoporoſus. Cardialgia.

Decoctum cum oxymelle.

Mixtura ſalina.

Die 19. *Maji*.

Os bonum. Lingua bilioſa. Nulla aut exigua ſolum cardialgia. Sæpius purgatur. Alacrior eſt, non amplius ſoporoſus

Decoctum cum oxymelle.

Mixtura ſalina cum tinctura rhei.

Cathar-

Catharrosus modo est. Respiratio facilis, indolens.

Die 20—23. *Maji.*

Vomitorium. Plurima viridia, flava pultacea vomuit. Omnium levamen, bene per omnia.

Die 24. *Maji.*

Oris amaror de novo, & hypochondria tensa. Diæta strictior &

Mixtura salina

inde bene.

Nota. Notabiles sunt hæ capitis affectiones ab hypochondriis ortæ. Coma biliosum, balbuties, incipiens opisthotonus &c. a vitio primarum viarum.

HISTORIA MORBI L.

Die 14. *Maji.*

Chirurgus 22 annorum. Afficitur a quatuor diebus coryza sicca cum dolore ad radicem nasi. Heri friguit, caluit, a venæ sectione in pede instituta paulo melius se habuit. Pulsus est celer, sitis pauca, caput grave, odor & sapor nullus, lingua alba. Bibat

Febris larvata continua.

Decoctum cum oxymelle.

Emulsum nitrosum.

Fomentat membranam Schneiderianum aqua tepida.

Die 15. *Maji.*

Nox bona, ſudor, nares ſiccæ. A meridie ſudor copioſior cum dolore capitis.

Venæ ſectio.

Die 16. *Maji.*

Levior dolor, attamen paulo poſt denuo increvit præcedente frigore circa primam pomeridianam, & circa undecimam noctis ceſſavit cum ſudore.

Die 17. *Maij.*

Hodie circa primam pomeridianum frigus horrorque, dolor capitis ad radicem naſi gravis. Lingua modice linioſa. Os modice amarum, ſubinde ructus amari; finito paroxysmo ſumat.

Emeticum.

Die 18. *Maji.*

Vomuit multa flava. Nullus rediit paroxysmus.

Mixtura ſalina.

Die 21. *Maji.*

Sumpta mixtura noſtra ſtomachica ſanus diſceſſiit.

Nota. Febris larvatæ ſedes in ventriculo, 2) Solo emetico curata.

HI-

HISTORIA MORBI LI.

Die 14. *Maii.*

Fœmina 24 annorum: menſtrua ſemper bona, ante 14 dies ultima. A ſeptem ſeptimanis dolor ſiniſtram capitis partem occupans, & ad oculum ſe extendens. Hunc præceſſit octidua viſus obnubulatio, oculus ſiniſter lachrymans.

Hemicrania chronica.

Ad venæ ſectionem, ad balnea pedum, ad vomitus & alvos ante tres dies emeticis excitatis nihil melius. Appetit. Ad noctem augetur dolor; hinc non multum dormit.

Mitificatum veſicans ad tempus lateris dolentis.

Decoctum taraxaci.

Mixtura ſalina.

Die 15 — 17. *Maii.*

Dolor minor longe. Fluunt veſicantia. Adplicatum digeſtivum cum ſapon.

Die 17. *Maii.*

Exſiccatis locis veſicante tentatis rediit dolor capitis. Denuo applicatum eſt mitificatum veſicans.

Die 18 — 21. *Maii.*

Heri minus, & hodie omnino non dolet. Loco veſicantibus eroſo, diu fluente curata, e noſocomio diſceſſit circa 21. Maii.

HISTORIA MORBI LII.

Die 14. *Maii.*

Vermes.

Fœmina 18 annorum. Ante decem dies ultima menſtrua; prima prodibant decimo quarto ætatis anno, debito ordine ibant & redibant usque ad decimum octavum annum, quo non niſi per novem dies in menſe fluere deſinunt, fluxum hunc excipit fluor albus. Laſſitudo membrorum, calores & frigora alternantia a quatuordecim diebus.

Ab octo diebus vero dolor gravativus ventriculi. Poſt prandium doloris augmentum. Lumbricum ex ore traxit. Lingua ſat pura, ſapor bonus, ructus putridi nauſea & faſtidium ciborum. Sitis.

Emeticum.

Die 15. *Maii.*

Semel mucoſa vomuit, ter eſt purgata, pondus in ventriculo minor.

Mixtura ſtomachica.

Die 16. *Maii.*

Data

Mixtura anthelmintica.

Alvum inde poſuit glutinoſum mere, ſicut ſperma ranarum, ſed paucam.

Die

Die 17. *Maii.*

Alvus aliquoties mota. Bene ſe habet. Nulli vermes obſervati.

Die 18. *Maii.*

Bene ſe habet.

Mixtura ſtomachica.

Die 23. *Maii.*

Ob cordis palpitationes datus.

Cortex cum vitriolo martis &

Tinctura caſtorei &

bene ſe habet.

HISTORIA MORBI LIII.

Die 15. *Maii.*

Ante octo dies febricitare incepit. Continua remittens. Exacerbatio quotidiana prægreſſo horrore.

Febris continua remittens.

Venæ ſectio.

Mixtura antiphlogiſtica.

Decoctum cum oxymelle.

Die 16. *Maii.*

Sanguis cum cruſta.

Mixtura antiphlogiſtica.

Decoctum cum oxymelle.

Minus febricitat. Exacerbationes leviores.

Die 18. *Maii.*

Nulla exacerbatio.

Die

Die 19. *Maii.*

Noctu caluit, inquiete dormivit.

Mixtura antiphlogistica.

Die 20 — 21. *Maii.*

Modica febris.

Die 22. *Maii.*

Modica febris. Semper adhuc exacerbatio absque frigore, & quotidiana.

Die 23. *Maii.*

Os amarum, ructus nauseosi. Datum Emeticum.

Die 24. *Maii.*

Os modice solummodo amarum.

Mixtura salina.

Bene se habet.

HISTORIA MORBI LIV.

Die 15. *Maii.*

Homo 24 annorum. Decubuit ante duos annos in hoc nosocomio peripneumonia, ceterum sanus. Præcedens per quatuordecim dies dolor capitis, coryza, catarrhus cum sputis mucosis, sanguine tinctis.

Die 15. *Maii.*

Ad vesperam die Mercurii lene frigus cum sensu doloris sub costis infimis dextri lateris. Calor cum augmento doloris, siti mul-

multa, tuſſi reſpiratione difficili, & dolore capitis. Nox inſomnis cum iis ſymptomatibus.

Die 16. *Maii.*

Mane aſſumſit

Purgans hydragogum.

Inde bis fuſca fœtida vomuit, & decies purgatus eſt; omnia ſymptomata graviora; ſputa mucoſa, alba, ſanguine ſtriata prodiere. Nox inquieta, inſomnia multa.

Die 17. *Maii.*

Mane pulſus naturali celerior, non durus, reſpiratio difficilis, dolor punctorius ab infimis coſtis usque ad mammam, tuſſi & reſpiratione acutior, dolor capitis, tuſſis cum ſputis mucoſis, albis, ſitis, calor, lingua alba cum levi virore, amaror oris, ructus amari, cardialgia nulla; cutis humida, levis oculorum viror, decubitus in latere affecto impoſſibilis.

Venæ ſectio.

Decoctum cum oxymelle.

Cruſta non contracta, non craſſa mediocriter tenax. In tertio vaſculo nulla cruſta. Cruor conſiſtentior ſolito. Reſpiratio, & oppreſſio pectoris poſt venæ ſectionem gravior, dolor coſtas ſpurias reliquit, & altius aſce-

aſcendit, major eſt. Bis adhuc alvum poſuit. Veſperi data

Dr. ſemiſſ. radic. ipecacuanhæ.

Vomuit bilioſa, viridia, & a vomitu melius habuit. Decubitus in latus dolens iterum poſſibilis, quin & facilius. Reſpiratio exiguo tempore emendata, uti & oppreſſio. At oppreſſio eadem mox rediit, uti & reſpiratio læſa.

Decoctum cum oxymelle.

Mixtura antiphlogiſtica.

A meridie dolor aſcendit ſupra mammam verſus ſterni initium, deſertis partibus inferioribus, lingua eadem. Os bonum, nullæ vomituritiones, ſenſus abdominis exulcerati. Pulſus naturali celerior, plenus, fortis, tuſſis mediocris. Sputa aquoſa, modice tenacia. Sitis non magna, facilis tolerantia morbi.

Die 18. *Maii.*

Os amarum. Lingua minus alba, magis vireſcit. Veſperi

Venæ ſectio ad unc. vj.

In uno vaſculo levis cruſta. Dolor minor. Paulo poſt denuo

Venæ ſectio ad unc. viij.

In utroque cruſta non craſſa, neque contracta. Minor dolor. Reſpiratio & oppreſſio

ut

ut antea. Pulſus celer, mollis, non debilis. Sputa glutinoſa, mucoſa. Tuſſis & ſitis moderata. Noctu cum inſomniis dormivit.

Die 19. *Maii.*

Dolor minor poſt cataplasma.

Potus tepidus decocti cum oxymelle.

Mixtura antiphlogiſtica.

Tuſſis moderata. Sputa mucoſa, glutinoſa modice ſanguinea. Lingua eadem. Nulla cardialgia. Nulli ructus amari. Sapor bonus. Pulſus non durus.

Die 20. *Maii.*

Nox inſomnis. Capitis confuſio potius, quam dolor, & dolores lateris nulli. Pectus multum emendatum. Pulſus non multum celer. Urina heri magis ruffa, & minus crocea, hodie (quinta morbi dies) paulo magis eſt crocea. Alvus. Sputa. Circa meridiem oppreſſio major in ſterno.

Veſicans.

Urina ex ruffo flava. A meridie alvum aliquoties poſuit laxam. Veſperi minor oppreſſio, & omnia meliora.

Die 21. *Maii.*

Diarrhœa perſtat, at minor. Levamen omnium. Sputa tenacia. Urina auriginoſa, profunde flava, ferme tingens. Lingua biliosa.

Die

Die 22. Maii.

Alvus laxa. Pectus multum emendatum, ſputa glutinoſa, tenacia.

Veſicans veſperi intra ſcapulas.

Nox turbata inſomniis.

Die 23. Maii.

Mane diarrhœa perſtat, frequentior fit, fors ex perfrigeratione cum aura eſſet frigidior & æger ſurgeret. Veſperi

Scutum ſtomachic.

Laudani gr. β.

Noctu alvus ſiluit.

Die 24. Maii.

Hodie alvus nulla, niſi ad veſperam, ſputa glutinoſa admodum. Pectus bonum, & tuſſis gravis.

Die 25. Maii.

Hodie tuſſis plurima, dolorque capitis. Sputa tenacia. Rediit diarrhœa. Repetitum

Scutum ſtomachicum, item

℞. Kermet. mineral. gr. ij.

Laudani puri gr. j.

Sacchari alb.

Lapid. cancror. āā dr. β.

Divid. in doſes No. IV. S. omni hora pulverem.

Die

Die 31. *Maii.*

Omni bihorio granum kermetis ſumſit cum quarta parte grani laudani. Sputa tenuiora, primo copioſiora, dein parciora; demum nulla; lingua pura. Appetitus.

Nota. Quæritnr 1) quis morbus ſit iſte: An vera & originaria, ſive inflammatoria pleuritis? Videamus 1) vera & inflammatoria pleuritis valido plerumque aliquot horarum rigore inchoat. At noſter *lene* tantum frigus habuit.

2) Pulſus in vera pleuritide valde durus, & noſter pulſum habuit naturali quidem paulo celeriorem, ſed minime durum.

3) In vera pleuritide & peripneumonia ad initium rubor faciei, genarum. At noſter extraordinarie non rubuit, alter ipſi vicinus palluit, & colorem flaveſcentem exhibuit.

4) In vera inflammatione pulmonum, ſive in pleuritide & peripneumonia lingua ſicca, os ſiccum, cutis ſicca, ſapor nullus, at uterque noſtrorum linguam habuit bilioſam; ructus, vomituritiones.

5) Prima venæ ſectio in vera pleuritide & peripneumonia multum levaminis ſemper affert. Noſtri hi duo pejus habuere.

6) A posteriori aliquid desumi potest. In vera pleuritide & pulmonum inflammatione purgans drasticum vix non certo mortem affert. At noster jalappam & scammonium assumpsit extra nosocomium, & proprio marte, quin supra modum fuerit morbus auctus, etsi pejus habuerit.

7) In vera pleuritide & peripneumonia emeticum datum magis adhuc nocuisset; at noster post emeticum in latus affectum poterat iterum cubare, & reliqua symptomata, etsi emendata non fuerint, non tamen fuerunt graviora reddita.

8) Pleuritis & peripneumonia valentissimos persæpe homines, & antea sanissimos, non opinantes aggrediuntur; at uterque æger prius catarrhosi fuere per aliquot dies.

HISTORIA MORBI LV.

Die 17 *Maji.*

Peripneumonia mucosa inflammatoria.

Vir 46 annorum, per quatuor dies catarrhosus est. Finito quarto die horruit, caluit; pulsus celer, plenus; sitis; dedolatio. (Dies morbi quarta.)

Secta vena.

Sanguis cum crusta.

Mix-

Mixtura antiphlogiſtica.

Decoctum hordei cum oxymelle.

Pulſus mollis poſt venæ ſectionem.

Die 19 *Maji.*

Sitis minor. Omnia meliora. Sputa craſſa.

Mixtura ſtibiata, addetur kermes.

Die 21 *Maji.*

Copioſa & glutinoſa ſputa, cetera meliora.

Die 22 *Maji.*

Reſpiratio bona; nulla oppreſſio; ſputa copioſa, glutinoſa.

Mixtura pectoralis ſimpl. cum kerm.

Decoctum cum oxymelle.

Die 23 *Maji.*

Bene per omnia. Sputa faciliora, tenuiora.

Mixtura pectoral. ſimpl. cum kerm.

Die 25 *Maji.*

Mixtura cum gummi ammon.

Sputa tenacia, copioſa. Per omnia bene ſe habet.

HISTORIA MORBI LVI.

Die 17 *Maji.*

Febris inflammatoria biliosa.

Puella 21 annorum, per quatuor dies ægrotat. Horret, caletque per vices. Cordis palpitatio; pulſus febrilis; difficilis reſpiratio; os glutinoſum. Facta

Venæ ſectio.

Vix veſtigium cruſtæ. Dolor in abdomine.

Mixtura ſalina.

Die 19 *Maji.*

Nauſeas, vomituritiones queritur.

Die 20 *Maji.*

Datum

Emeticum.

Vomuit blioſa.

Die 21 *Maji.*

Pulſus fortis, plenus.

Venæ ſectio.

Sanguis laudabilis.

Die 22 *Maji.*

Symptomata prorſus anomala; pulſus omni momento alius, atque alius. Quærula ſumme hyſterica.

Mixtura ex mentha.

Die 23 *Maji.*

Longe melius per omnia ſe habet.

Die

Die 25 Maji.

A pilulis noſtris gummoſis omnium optime ſe habet.

HISTORIA MORBI LVII.

Die 17 Maji.

Fœmina 24 annorum. Ante quinque ſeptimanas ultima menſtrua, alias ſemper tarda. A tribus ſeptimanis non bene valet, friguit, caluit. Poſt venæ ſectionem dolor capitis. Calores & frigora omni die alternantia, vomituritiones poſt aſſumpta; dolor ad tempora auctus; oris amaror; ructus amari; ſitis.

Febris larvata,

Emeticum.

Die 18 Maji.

Vomuit bilioſa, & purgata eſt. Sitis major; pulſus debilis, celer, ſine calore; os bonum; aliqua cardialgia ad attactum; dolor in vertice capitis & ad tempora.

Mixtura ſalina cum
Tinctura rhei aquoſa.

Die 19 Maji.

Dolor hic hucusque quotidie circa meridiem invaſit cum frigore, ſudore frigido

per totum corpus. Paroxysmus hesternus mitior fuit, & minus diuturnus.

Mixtura salina cum
Tinctura rhei aquosa.

Rediit dolor ad vesperam usque ad mediam noctem.

Cortex peruvian.

Die 20 Maji.

Hodie rediit paroxysmus.

Die 21 Maji.

Cortex peruvian. cum gr. ij. extract. hyosciam.

Die 22, 23 Maji.

Binis hisce diebus tantum exiguum capitis dolorem passa est.

Die 24, 55 Maji.

Bene habet. Emanet paroxysmus heri & hod e.

Nota. Febris larvatæ sedes in ventriculo. Vide etiam historiam chirurgi ex periodico capitis dolore per emeticum curati.

HI.

HISTORIA MORBI LVIII.

Die 18 *Maji.*

Homo 24 annorum, faber lignarius, afficiebatur ante octo dies frigore, calore perseverante, dolore capitis.

Saburra biliosa.

Venæ sectione

die tertio instituta. nullum levamen, lingua alba, modice flava; sapor bonus, ructus non amari, appetitus prostratus, sitis multa, calor; dolor in parte molli hypochondrii sinistri; tensio præcordiorum, tremor labii inferioris, horrores vagi; pulsus mollis, celerior naturali.

Emeticum.

Die 19 *Maji.*

Os bonum; hypochondria non amplius tensa; capitis dolor minor; sitis. Plurima biliosa vomuit. Dolor hypochondrii sinistri perstat.

Die 19 *Maji.*

Omnia bona, solummodo restat lingua modice alba, flavaque, in apice autem pura. Item aliqua tensio in hypochondriis'

Mixtura salina.

Die 21 *Maji.*

Omnia bona, ſola præcordiorum tenſio.

Emeticum.

Vomuit viridia, mucoſa. Levis ſupereſt hypochondriorum tenſio. Sumit

Mixturam ſalinam.

Die 23 *Maji.*

Tenſio aliqua hypochondriorum.

Repetita priora.

Sanus paulo poſt abiit.

Nota. Vide 1) pauca ſaburræ ſigna, & tamen magnam ſaburram.

2) Neceſſitatem repetendi emetici.

HISTORIA MORBI LIX.

Die 18 *Maji.*

Colica inflammatoria, vel potius rheumatica.

Fœmina 22 annorum, alias ſemper ſana, octo dies menſtrua. Sub finem menſtruorum frigus, calor, dolores lancinantes in hypogaſtrio & regione umbilicali, ante meridiem leviores, ad attactum aucti. Abdomen molle, cardialgia nulla, ſitis non multa, ructus non alieni, alvus per triduum adſtricta, ardor urinæ, oppreſſio pectoris, dolor capitis, calor, pulſus celer, ſubdurus.

Venæ ſectio.

Eme-

Enema.

Fomentum emolliens ad abdomen.

Emulſum nitroſum.

Die 19 *Maji.*

Cruſta pleuritica, dolores mitiores.

Venæ ſectio ad unc. viij.

Repetita priora.

Die 20 *Maji.*

Rediit dolor; alvus difficilis.

Enema.

Fomentum ad abdomen.

Emulſio cum gr. ij. camphor. & totidem gr. extract. hyoſciami.

A meridie nullus dolor; at pulſus plenus, fortis, durus.

Venæ ſectio.

Cruſta denſiſſima, phlogiſtica.

Die 21 *Maji.*

Dolor ſubinde tantum & mitior; alvus bilioſa aliquoties; lingua bilioſa. Dolores etiam artuum omnium vagi.

Die 25 *Maji.*

Datum ſerum lactis, & inde melius.

Die 30 *Maji.*

Bene per omnia.

Nota. In colica inflammatoria methodus antiphlogiſtica cum anodynis. Vide vim camphoræ in *exigua* doſi antiſpasmo-

dicam; item tutiorem uſum extracti hyoſciami, quam opii.

Nota uſum eximium ſeri lactis in rheumatiſmo febrili, junctis ſimul venæ ſectionibus.

HISTORIA MORBI LX.

Die 19 *Maji.*

Peripneumonia.

Puella annorum 20, die 18 Maji horruit, caluit. Sitis; oppreſſio pectoris. Facta venæ ſectio adhuc extra noſocomium; ſanguis cum cruſta; os amarum. Sumta

Mixtura ſtibiata.

Vomuit bilioſa cum levamine. Inde levabatur. Attamen die ſequenti magna oppreſſio, dolores pectoris punctorii, ſputa glutinoſa; pulſus *mollis*, *celer* valde. Facta eſt

Venæ ſectio ſecunda.

Sanguis cum cruſta magna, craſſa, tenaci, contracta.

Mixtura cum ſtibio.

Decoctum cum oxymelle.

Die 22 *Maji.*

Minor oppreſſio, ſputa mucoſa; at a meridie major oppreſſio, dolor lateris, calorque.

Ve-

Veſicans, &

Emulſio cum camphora.

Die 23 Maji.

Omnia meliora.

Die 25 Maji.

Bene per omnia ſe habet. Pectus bonum; nullus dolor, nulla oppreſſio; pauca tuſſis. Sumit

Camphoratam emulſionem.

Die 27 Maji.

Sputa mucoſa; tuſſis exigua. Bene per omnia ſe habet.

Nota. In graviſſima pulmonum inflammatione pulſus *mollis*, *celerrimus*, & potius *debilis*, cum ſanguine nihilominus ſumme phlogiſtico, ortoque a venæ ſectione levamine.

Bilioſa ſponte cum levamine vomuit.

In omnibus peripneumoniis hujus tempeſtatis ſputa copioſa primo tenacia, viſcoſa, dein aquoſa, quæ ſenſim minuuntur. Nulla ſic dicta ſputa puriformia, coctaque. Una ſolum puella peripneumonica curata eſt absque ullis ſputis, etſi tuſſi ſumme fatigante fuerit continuo vexata. Sunt hæ peripneumoniæ *complicatæ* partim *inflammatoriæ*, ita tamen, ut inflammatio brevi, beneque reſolvatur, partim ſpuriæ.

Effe-

Effectus camphoræ egregius, uti & vesicantium, ibi, ubi methodus mere antiphlogistica non sufficit. Grave monitum non insistendi huic methodo mere antiphlogisticæ.

Sputa *cocta, puriformia* non observata hucusque sunt. Nam sputa semper erant tenacia primo, glutinosa, magis magisque aquosa, sæpe admodum copiosa: apparent statim ad initium morbi. Stibiata optime conveniunt.

Fere semper præcedit catarrhus per aliquot dies, quin etiam septimanas. Non incipit hæc *species peripneumoniæ*, aut *pleuritidis* post perfectam sanitatem, cum valido horrore, æstuque subsequente, & dolore demum punctorio, uti id contingit in inflammatione pulmonum *essentiali, veraque*. Sæpe *dolor urens*, auctus ad inspirationem; oppressio sæpe gravis; lingua alba, flava, humida, raro sicca; os amarum sæpe, glutinosum, mucosum, subinde tamen *siccum*; sitis aut nulla, aut exigua, raro magna. In morbi progressu, maloque valde aucto, nulla sitis plerumque. Post venæ sectionem levamen non durans, aut nullum, nisi ad pauca momenta, malumque gravius recrudescens post venæ sectionem, præcipue major

op-

oppressio pectoris, dolorque auctior. At dato camphorato emulso, adplicatis vesicantibus omnia meliora. Una, duæ etiam venæ sectiones requiruntur; subinde nulla; tertio plerumque insigniter nocet. Crusta semper tenax, crassa, phlogistica. Hæ pleuritides sunt *biliosæ*, a primis videlicet viis ortæ, quæ si venæ sectionibus nimis tractentur, aut etiam sponte in *malignas*, verasque *putridas* abeunt. *Inflammatio pulmonum* est mere *symptomatica*, ortaque primum serius ob auctum humorum motum.

Crisibus & *evacuationi criticæ* non sunt *obnoxiæ*, uti omnes morbi *biliosi*, atque etiam *maligni*.

HISTORIA MORBI LXI.

Die 20 Maji.

Faber ferrarius 18 annorum. A die Jovis vesperi (id est, ante quinque dies vesperi) lassitudo, dolor lumborum, oppressio pectoris, dolor punctorius ad sternum; sitis multa; tussis nulla; frigora interna; calores simul externi ad attactum; dolor capitis; lingua biliosa; ceterum nulla signa viarum prima-

Pleuritis biliosa.

marum affectarum. Pulſus plenus; dolor in molli hypochondrii ſiniſtri parte; oppreſſio pectoris. Bis ſecta vena eſt. Sanguis absque cruſta.

Die 22 *Maji.*

Dies ſeptima.

Emeticum:

nam abdomen doluit, præcipue hypochondrium ſiniſtrum; magna pectoris oppreſſio; vomuit multa viridia.

Die 23 *Maji.*

Mens vacillat. Lingua bilioſa.

Mixtura ſalina, &

Tinctura rhei aquoſa.

Die 24 *Maji.*

Mens vacillat. Repetitum idem eſt. Alvus aliquantum movetur. Minor oppreſſio pectoris; abdomen minus dolet. Dolor validus capitis.

Die 25 *Maji.*

Omnia ut heri.

Veſicantia ad ſuras.

Die 26 *Maji.*

Pulſus mollis, non multum celer. Lingua glutinoſa, ſicceſſere incipiens.

℞. Aquæ

℞. Aquæ rutæ unc. v.
Spiritus vitrioli,
Rad. contrajerv.
Camphor. āā. ʒ. j.

Mens sæpius constat.

Die 27 Maji.

Uti heri; nisi quod lingua biliosa sit, hypochondria tensa, urina citrina.

Eadem repetita sunt.

Die 28 Maji.

Omnia ut heri. Datum
Emeticum.

Vomuit biliosa, flava.

Repetita priora sunt.

Die 29 Maji.

Mens constat, & tardus ad omnia est. Alvus hodie quinquies mota; urina citrina. Pulsus mollis, & fere naturali celeritate.

Die 30 Maji.

Ut heri. Sumit a triduo
Mixturam sambucinam cum drach. j. spir. vitrioli, item ejusdem in decocto hordei.

Die 31 Maji.

Sudavit aliquoties; nulla alvus. Hinc
Tinctura rhei aquosa addita est, & datum clysma.

Die

Die 1 Junii.

Alvus clysmate heri & hodie movetur; item

Tinctura rhei aquoſa.

Senſus omnes promptiores. Apyretos.

Die 2 Junii.

Uti heri. A meridie datum

Emeticum ex radice ipecacuenhæ.

Vomuit pituitoſa, amara, multa, flava. Omiſſus ſpiritus vitrioli.

Die 3 Junii.

Emendantur omnia.

Die 6 Junii.

Lingua emendatur, uti & reliqua.

Die 7, 8 Junii.

Sumit

Mixturam ſambucinam cum ſtibio.

Caput hucusque tinniens emendatur.

Die 15 Junii.

Corticem cum vino budenſi ſumit ab aliquot diebus. Bene habet.

Nota. Vide 1) levamen infidum a venæ ſectione in morbis bilioſis. Nam poſt ſingulam venæ ſectionem pectus emendabatur ad tempus, ſed gravius rediit malum idem.

2) Morbi bilioſi methodo mere antiphlogiſtica tractati ad initium, reſorptis jam ſordibus bilioſis, difficillime ſanantur.

HI-

HISTORIA MORBI LXII.

Die 22. Maji.

Ischias rheumatica

Fœmina 26 annorum. Ante quatuordecim dies ultima menſtrua, alias ſemper ordinata, habuit. Ante quatuor ſeptimanas ob ardorem & oppreſſionem pectoris.

Vena ſecta

fuit cum multo levamine; poſt triduum dolor ad acetabulum dextrum per femur ad poplitem, a poplite usque ad pedem ſe extendens, ſæviensque diu noctuque. Poſt aſſumptum purgans augmentum doloris. Nunc multo eſt tolerabilior dolor, febris nulla, lingua impura, os mucoſum amarescens, levis oppreſſio pectoris. Sub genu in externa cruris parte applicetur.

Veſicans; ſumat mixturam ex

Aqua flor. ſambuc. unc. v.
Roob ſambuci unc. ij.
Camphor gr. jv.
M.

Die 23 Maji.

Dolor mitior.

Die 24. Maji.

Vix ullus dolor. Niſi ad acetabulum, ad quod oleum camphoratum adplicabitur.

Die 31. *Maji.*

Bene habet. Vix ullus dolor ad acetabulum. Cum diu nollet applicari ſibi mitificatum veſicans, id tamen hodie fieri permiſit, unde ſtatim libera ab omni incommodo manſit.

Nota. Methodus *Cottuni* adplicandi veſicans ad caput fibulæ omnino præſtans deprehenſa pluries eſt.

HISTORIA MORBI LXIII.

Die 23. *Maji.*

Latus ſemiparalyticum ob retropreſſum eryſipelas & achores.

Juveni quindecim annorum achores jam in pueritia in nucha & occipite omni hyeme prodeuntes, omni æſtate diſparentes, retropellebantur menſe decembri prioris anni, nucha unguento quodam inuncta. Diebus Chriſti natalibus apparuit in crure eryſipelas, quod uſu globuli ad eryſipelas monialium S. Eliſabethæ retropulſum ad dextram colli & faciei partem translatum fuit. Eodem medicamento etiam hic retropulſo eryſipelate ortus eſt tumor ſub maxilla dextra inferiori, qui farina fabarum, & camphora diſcuſſus eſt. Poſtea collum frigidum, tenſumque factum eſt, ut difficulter moveri potuerit. Multis per ſex ſeptimanas incaſſum adhi-

adhibitis, medicus pauperum medicinam fecit, hoc cum effectu, ut post 4 septimanas juvenis pristinos labores peteret. Remanserat tamen levis adhuc dolor, & tensio in nucha. Hac unguento quodam a chirurgo dato fricata, dolor migravit mox in collum, mox in caput; demum a capite in maxillam dextram, & post quinque dies in brachium cum inducta paralysi. Ante octo dies dolor quoque invasit coxam, & totus pes nunc incipit paralyticus fieri. Latus semiparalyticum frigidius apparet. Item musculi brachii videntur flaccidiores. Sæpe conqueritur de dolore capitis.

Die 24. Maji.

Vesicans ad originem nervorum brachialium, serum lactis cum succis recentibus. Frictio pedis, cruris, dorsi, brachii, sequenti unguento:

℞. ungu. nervini unc. ij.
— — de arthanita.
Olei laurin. āā unc. ß.
Spirit. sal, ammon. dr. j.
M.

Brachium mobilius est post vesicans. Dolores capitis emendantur. Præmissa est mixtura salina.

Die 25. *Maji.*

Ponatur etiam veſicans ad lumbum dextrum.

Die 26. *Maji.*

Dolor capitis diſparuit, melius movet membra.

Die 17—30. *Maji.*

Hodie alumine plumoſo fricabantur partes paralyticæ. Crus optime movetur.

Poſt frictionem cum unguento aromatico non emendabatur; at facta cum alumine plumoſo frictione ſtatim expeditius membra movet. Sumpſit hucusque ſerum lactis, cum ſuccis antiscorbuticis. Item per intervalla mixturam ſalinam. At modo.

Die 30. *Maji.*

℞. Galban.
Camphor. āā dr. ij.
Alœs lot.
Sal. c. c. āā ſcr. j.
Terebint. q. ſ. f. pil. gr. iij.

Quater per diem pil. ij. ſuperbibendo ſerum lactis cum ſuccis antiſcorbut.

Die 3. *Juni.*

Brachium inſigniter emendatur. Sumit quater per diem pilulas quinque.

HI-

HISTORIA MORBI LXIV.

Die 29. Maji.

Vomitus.

Virgo annorum 21, parca ſemper, & nigra, ac dolorifica menſtrua habens, per 2 menſes omni mane vomitus immanes patitur. Ventriculus dolet ſæpe. Aſſumpta non vomuit. Lingua alba, mucoſa, alvus tarda.

Mixtura ſalina cum ſcr. β. eſſent caſt.

Die 30. Maji.

Totum revomuit. Repetita priora ſunt, cum enemate.

Die 31. Maji.

Alvus movetur. Vomit adhuc.

Die 2. Junii.

℞. Extract. hyoſc gr. ij.
Elect. diatheſſ.
Pulv. cort. peruv. āā dr. β.
Syrup. menth. q. ſ.
M.

Detur in quadruplo.

Scutum ſtomachicum.

Die 3—28. Juni.

Bene inde habet. Cum autem vomitus denuo rediret, juſſi, ut pauciſſima doſi acciperet, quæcunque aſſumeret, ſive ali-

menta, ſive potulenta, ſive medicamenta. Dedi elixir. ſtomachicum temperatum, & tincturam rhei aquos āā unc. iij, Laudan. liquid. Sydenh. gutt. xxx. intra 24 hor. ſumat 6ies cochlear. ordinar.

Sic gradatim & medicamentum, & cibos facilius tulit, nullusque amplius vomitus. Adplicabatur ſimul ſcutum ſtomachicum.

Die 28. *Maji.*

Vires redeunt; eodem medicamento identidem convaluit. Vomitus non rediit.

Nota. Vomitus ab irritabilitate nimia, & inanitate exigit doſes admodum exiguas aſſumptorum. Sola nimia quantitas remedii, licet indicatiſſimi, vomitum ciet.

HISTORIA MORBI LXV.

Die 30. *Maji.*

Pleuroperipneumonia.

Sutor 24 annorum die Lunæ id eſt ante quatuor dies vomuit aſſumpta, dolor punctorius ſub mamma ſiniſtra. Oppreſſio pectoris, tuſſis, ſputa crocea. Heri venæ ſectio cum levamine. Poſt venæ ſectionem aſſumpſit purgans, a quo non purgabatur, & pejus inde habuit. Sputa mucoſa, lingua alba.

Venæ ſectio.

Cru-

Crusta ingens non contracta. Nullum levamen.

Die 31. *Maji.*

Vesicans ad suras.

Inde mox dolor disparuit.

Die 1. *Junii.*

Febricitat. Adhuc exiguus dolor inter tussiendum. Adponatur aliud.

Vesicans ad brachia.

Die 2. *Junii.*

Dolor disparuit. Febricitat adhuc. Pectus bonum. Sputa mucosa. Pulsus plenus, fortis. Lingua impura, alba. Non multum sitis. Pulsus fortis plenus.

Venæ sectio ad unc. viij.

Die 3. *Junii.*

Nulla crusta. Bene habet. Lingua impurissima.

Die 8. *Junii.*

Mixtura ex aqua sambuci

Oxymelle simpl. & squill.

Cum tart. emet.

Bene habuit.

Nota. An frigus diuturnum indeque calor? An nulli artuum dolores simul? An antea fuit perfecte sanus? An valida oppressio? An dolor statim cum frigore, & ad initium morbi? Sitis? Os? Decubitus?

Pulſus? Color faciei? Tuſſis? Sputa? Urina?

HISTORIA MORBI LXVI.

Die 31. Maji.

Continua remittens cum petechiis.

Fœmina 25 annorum. Habuit menſtrua ante ſex dies ultima, alias ſemper ordinata. Habitavit in cubiculo humido frigido. Friguit & caluit ante octo dies. Frigus & calor in certis diebus maxime ad meridiem redierunt. Vertigo, cephalalgia, lingua ſatis pura, os mucoſum, vomituritiones, tenſio præcordiorum, alvus aperta, noctes quietæ, pulſus fere naturalis, rubræ petechiæ.

Emeticum.

Vomuit flava.

Nota. In accuratiori & repetito examine conſtitit, febrilem paroxysmum omni tertio die redire cum ſenſu rei per artus omnes formicantis, artusque leviter convellentis. Attamen idem ſenſus etiam die bono ſæpius ſed longe mitius redit. Die libero a laboribus domeſticis, utut fatigata fungebatur. Poſt emeticum pauciſſimæ petechiæ.

Die

Die 1. *Junii.*

Rediit paroxysmus, mitior tamen. In eius principio vomuit pauca, ſed æruginoſa, Veſperi commode ſe habuit.

Mixtura ſalina.

Die 2. *Junii.*

Vix aliquæ peticulæ, Apyretos. Cardialgia ad attactum, os mucoſum.

Emeticum.

Vomuit multa flavâ.

Die 3. *Junii.*

Rediit paroxysmus at longe mitior, nullæ petechiæ.

Mixtura ſalina.

Tinctura rhei aquoſa.

Os mucoſum, nulla cardialgia.

Die 4. *Junii.*

Apyretos.

Die 5. *Junii.*

Mitis paroxysmus admodum.

Die 6. *Junii.*

Apyretos.

Die 15. *Junii.*

Cum febris denuo inſurgeat, datus cortex. Convaluit.

HISTORIA MORBI LXVII.

Die 2. Junii.

Chlorosis. Fœmina 30 annorum. Cælebs, a duobus annis & dimidio nulla apparuerunt menstrua, semper tamen consuetis temporibus quædam horum symptomata. A quadragesima debilitas, lassitudo, dolores rheumatici artuum, cephalalgia. Ad motum corporis vertigo, respiratio difficilis, anhelosa, palpitationes cordis. Lingua impura, os amarum, ructus amari, cardialgia post pastum aucta, anorexia, alvus stricta, tumor pedum ad vesperem, pulsus debilis.

Mixtura salina &
Enema.

Die 3. Junii.

Nulla alvus.

℞. Salis amar. dr. iij.
Aquæ font. unc. iv.
Mellis unc. j.
M.

Die 4. Junii.

Sumit.

℞. Aquæ card. bened. unc. v.
Flor. sal. ammoniac. martial.
Elect. diatessar. āā dr. ij.

Hier-

Hier. picr. dr. j.
Syrup. de abſynth. unc. j.
M.

Die 6. Junii.

Bene habet.

HISTORIA MORBI LXVIII.

Die 3. Junii.

Continua remittens tertiana.

Fœmina 22 annorum habuit per 3/4 anni nulla menſtrua, facta fuit chlorotica; datis medicamentis reſtituta ſunt menſtrua, quorum ſecunda periodum ante 3 ſeptimanas rediit; & per quatuor ſeptimanas ſana vixit. Ante quatuordecim dies friguit, caluit cum vomitu ſpontaneo & appetitu prorſus deleto. Omni tertio die friguit, ſed absque vomitu; tempore intermedio remanſit temulentia, debilitas, laſſitudo. Quatuor jam paſſa eſt paroxysmos, & fere ſemper in lecto decumbere debuit, etiam diebus a paroxysmis liberis; heri paroxysmus cum levi tantum horrore; lingua biliofa, oris fœtor, os amarum, ructus amari nauſea, anorexia, conatus vomendi ad alimenta, cardialgia ad aſſumpta potulenta; levis hypochondriorum tenſio, ſitis, pulſus febrilis.

Eme-

Emeticum

a meridie. Ab hoc multa bilioſa flava vomuit, & purgata eſt; os amarum, oris fœtor emendatus.

At vero veſperi paroxyſmus rediit, minus vehemens.

Die 4. Junii.

Hodie alvum ſemel, & noctu quater poſuit. Commode ſe habuit, abſque paroxyſmo toto die. Nox bona,

Die 5. Junii.

Hodie ad noctem gravis paroxyſmus. Undecies purgata eſt.

Die 6. Junii.

Nox inſomnis. Pulſus mane fortis & plenus. Lingua bilioſa.

Die 7. Junii.

Paroxyſmus levior.

Die 8. Junii.

Apyretus. Alvus laxa & diarrhœica, abſque ullo ſtimulo purgante.

Die 13. Junii.

Tandem dabatur cortex, cum primæ viæ puræ eſſent, & febris licet mitior, tamen rediret. Curata fuit.

Nota 1) An cortex? non niſi, ubi aut natura ſuccumbere videtur, aut maligna febris fieri; aut datis licet ſolventibus

febris

febris exaſperetur, quod ob ſingularem ſubinde ſyſtematis gaſtrici laxitatem fit. Nam ipſa medicamenta ſolventia, ipſa pauca licet alimenta, in debili ſupra modum ventriculo pravam naturam induunt, & in biliofas labes convertuntur.

2) Victus in biliofis non ſit nimis largus, nam corpora impura non nutriuntur, ſed alimento copioſiori læduntur. Victus ſupra modum tenuis vim ventriculi debilem reddit debiliorem, victus parcus ſit, ſed gratus, modice analepticus, & tunc detur, quando maxima ab exacerbatione febrili diſtantia eſt.

Quæritur, an non exſpectanda coctio ſit, an perturbatio, criſis, die critico futura conſideranda ſit? Reſp. Morbos febriles duplicis utplurimum claſſis eſſe; quosdam materiam morbi intra vaſa ſanguifera receptam continere, quæ cum humoribus in circulum agitur. Quasdam autem febres fomitem ac materiam morbi extra circulum ſanguinis habere: materies morbi e. g. in febribus bilioſis, circulationis legi non ſubjacet. Soli autem morbi humorum circulationem, coctionem, criſin, dies criticos admittunt; natura motu cordis & arteriarum materiam febrilem ſubigit, attenuat, & excretioni

tioni cuidam aptam reddit. Sic materies phlogiſtica legi circulationis ſubjacet, & motu hoc humorum ſubacta coqui dicitur. Ut adeo ſoli ***morbi inflammatorii***, phrenitis inflammatoria, angina, pleuritis, peripneumonia inflammatoria &c. ſuam coctionem, ſuam criſin certo quodam die, quem criticum dicimus, peragendam habeant. Verum morbi gaſtrici, morbi illi, ubi materies extra limites humorum circulantium jacet, ubi illa iners in ventriculo vel inteſtinis hæret, coctio in *ſenſu ſtricto* locum non habet, ibi nulla criſis, nulla critica evacuatio datur. Motus enim cordis & arteriarum non agit, immediate in hanc materiem extra vaſa ſanguifera exiſtentem. Hinc cum materies hæc iners hæreat, & vim vitæ coquentem non experiatur, medicus ipſe medicamentis ſuis naturæ vices ſubire debet. Medicus ipſemet dato medicamento ſolvente, attenuante, diluente materiem primarum viarum *mobilem* & excretioni aptam reddit. Id eſt medicus morbi materiam *coquit*. Coctio ergo in morbis gaſtricis ſolius medici opus eſt. *Secundo*, materiam hanc, poſtquam illa *mobilis* facta eſt, idem medicus dato emetico, aut emetico-cathartico *evacuat*, non ſine aliquo incommodo *evacuat*, non ſine aliquo incom-

modo

modo evacuationem hanc præcedente. Hinc denuo *perturbatio critica*, & paulo poſt ſubſequens *evacuatio critica* in febribus gaſtricis a ſolo medico peragitur. Id ergo, quod natura ferme ſola facit in morbis inflammatoriis. Medicus ferme ſolus facit in febribus gaſtricis bilioſis, ſedem primariam in ventriculo & inteſtinis habentibus. Medicus in morbis inflammatoriis naturæ ſolummodo hinc inde ſuccurrit, ſapiſſime ſolummodo ſpectator eſt moliminum naturæ; at vero in gaſtricis ſeu bilioſis morbis natura raro ſola ſibi ſufficit, ſæpiſſime totum a medico dependet.

HISTORIA MORBI LXIX.

Die 7. Junii.

Cardialgia.

Puella 19 annorum habuit ſemper menſtrua copioſa, moleſta, nigri coloris, ante tres ſeptimanas ultima; a longo jam tempore non optima fruebatur ſanitate; ſæpius cardialgia vexabatur; nudius tertius poſt prandium decies ſexies vomuit; ultimo vomitus erat ſanguineus. Laſſitudo, reſpiratio difficilis, dolor ad medium ſternum, abdomen dolens & attactum nec minime ferens, tenſio præcordiorum, cubatus in latus dex-

trum

trum difficilis. Doloris augmentum ad quemcunque corporis motum; calor; mens heri non erat conſtans. Pulſus celer, fortis, durus, lingua ſat pura, os ſiccum, ſapor aceſcens, appetitus nullus, jam diu imminutus; ad

Venæ ſectionem unc. vj.

inſtitutam, reſpiratio melior. Alvus heri reſpondens.

℞. Aquæ flor. chamom.
— — Menth. āā unc. iij.
Camph. gr. ij.
Syrup. menth. unc. j.
Liquor. anod. min. Hoffm. gt. xij.
M.

Ad abdomen fomentum emolliens.

A veſpera nullus calor, pulſus fere naturalis, dolores mitigati.

Die 8. Junii.

Commode habet. Oris ſapor acidus, ructus acidi.

Addita eſt dr. jß. magnes. nitri.

Die 15. Junii.

Ortæ effloreſcentiæ in abdomine, data mixtura ſambucina. Bene habet.

HI-

HISTORIA MORBI LXX.

Die 2. Junii.

Homo 23 annorum. Antea semper sanus a die Jovis se male habet. Post validos labores dolor punctorius sub infimis costis sinistri lateris; successit lene frigus; horripilatio, aestus cum siti multa, sudor; nox inquieta. Die veneris vena secta fuit cum levamine doloris; eadem die frigidam hausit, unde oppressio pectoris, respiratio difficilis; tussis cum sputis glutinosis subcruentis, cardialgia ad tussim aucta, pulsus celer, fortis; lingua alba, alvus aperta.

Pleuroperipneumonia rheumatica.

Venae sectio.

Mixtura antiphlogistica.

Die 3. Junii.

Exigua in uno vasculo crusta. Lenimen doloris; sed non magnum. Nulla signa biliosa. Sputa ut heri.

Vesicans ad locum dolentem.

Pectus non oppressum.

Die 4. Junii.

Pulsus fortis; plenus. Noctu subdelirium; diarrhoea.

Venae sectio ad libr. j.

Crusta rheumaticorum. Pectus bonum.

Die 5. Junii.

Emulſio absque nitro.

Commode ſe habet. Nulla diarrhœa.

Die 7 — 8. Junii.

Sumit kermes minerale cum omni emolumento. Bene habet.

HISTORIA MORBI LXXI.

Die 3. Junii.

Pleuritis rheumatica

Homo 41 annorum: factor ſaponum per duos fere annos vexatur catarrho. Die veneris ante octo dies horruit. Leniter friguit, aſſumpſit vinum cum pipere, æſtuavit cum cephalgia, tuſſi, ſiti, ſudore. Die ſequenti debilitas, laſſitudo, vertigo, tuſſis, ſitis, calor. Cum his ſymptomatibus ſuſcepit iter, & ſuſceptum proſecutus eſt. Nunc a tribus diebus dolor punctorius in molli hypochondrii parte ſiniſtri lateris, tuſſi & inſpiratione auctus, primo doluerunt axilla ſiniſtra, totumque ſiniſtrum latus. Pectus ſatis liberum, tuſſis, ſputa alba, mucoſa, os tempore matutino mucoſum, amarum, ſapor amarus, nauſea, cardialgia ad attactum aucta, alvus aperta.

Venæ ſectio ad libr. j.

Omnia emendata.

Die

Die 4. Junii.

Hodie omnia meliora, levis dolor gutturis.

Venæ ſectio ad unc. viij.

Pulſus fortis, plenus. Levamen. Cruſta.

Die 5. Junii.

Pectus liberum, ſed noctu modice oppreſſum, cum ſputis mucoſis. Apyretos, pulſus tamen fortis & plenus. Datum

Kermes.

Minor faucium dolor.

Die 6. Junii.

Omnia emendata.

Die 7. Junii.

Bene per omnia.

Kermes min. gr. ß. cum ſcr. j. ſacchar.

Doſes vj.

Die 8. Junii.

Pulſus fortis, durus, ſitis auctior.

Venæ ſectio ad unc. viij.

Cruſta.

Die 13. Junii.

Curatus methodo mere antiphlogiſtica.

Nota. 1) Inflammationis theoria utut perpulchra ſit, tamen necdum exacte elaborata eſt: an vitium *primarium* ſit in fluido phlogiſtico, in cruore ipſo, vel ejus ſero, an vitium in ſanguine ſit ſolummodo ſecunda-

 rium,

rium, primarium vero in ſolidis criſpatis, irritatis, certe ignoratur.

a) Hoc ſolummodo per obſervationes conſtat, aliam eſſe inflammationis ſpeciem, quam *rheumaticam* appellamus, & aliam quam *inflammationem genuinam*, & vere talem nominamus. A priori differentiam utriusque explicare non poſſum, etſi diſcrimen hoc per obſervationes certum ſit. Nam

1) Inflammatio rheumatica rariſſime alia ratione terminatur, quam *benigna reſolutione*, ſaltem ſi etiam ſudore, urina &c. judicetur, id non fit certo dierum periodo, non fit exacte diebus criticis.

2) *Minus periculoſa* eſt, & viſcera quædam, quæ a *genuina inflammatione* non niſi maximo cum vitæ diſcrimine afficiuntur, cum acutiſſimo morbo, tolerabilius, & minori cum periculo afficit. Habuimus colicam a rheumatica inflammatione ortam, diu durantem, ſed feliciter curatam; vides tamen, quam grave periculum ſit in colica inflammatoria, ſeu enteritide, ſeu inflammatione inteſtinorum, quam intra exiguum tempus, intra 24 horas non raro occidat. Habuimus itidem *gaſtritidem rheumaticam*,

ticam, ſeu inflammationem rheumaticam ventriculi venæ ſectionibus repetitis & ſero lactis curatam; atque graviſſimis illis malis cito mortem afferentibus in gaſtritide vera inflammatoria.

3) *Sæpius chronica* eſt hæc *rheumatica inflammatio*, etſi non raro cito terminatur in ſalutem ægri, verum genuina inflammatio *ſæpius acuta* eſt, & rarius chronica.

4) Oris ſiccitas, & linguæ cruſta alba, ſicceſcens rarior in rheumatica, quam in genuina.

5) Inflammatio rheumatica *lente incipit utplurimum.* Genuina ſubito & valide aggreditur.

6) Inflammatio rheumatica thoracis, ſive pleuritis rheumatica dolorem acutum quidem facit, ſed reſpirationem minus impedit, *minorem pectoris* oppreſſionem facit.

7) Pleuritis rheumatica non intra ſolum ſe thoracem continet, ſed & dorſum, ſcapulas, artus ſuperiores, inferiores, aut ſimul infeſtat, aut dolor rheumaticus harum partium ſaltem præceſſit. Sæpe dolor in abdomine, hypochondriorum molli parte, ad ventriculum

eſt, a ſola materia rheumatica horum viſcerum membranas occupante, vellicante. Gravis eſſet error, hanc cardialgiam a crudo apparatu primarum viarum deducere.

8) In inflammatione rheumatica thoracis, ſive pleuritide rheumatica ſitis pauca, aut ſaltem non tanta eſt, quanta in vera pleuritide.

HISTORIA MORBI LXXII.

Pleuritis rheumatica cum ſaburra bilioſa.

Die 4. Junii.

Fœmina 56 annorum. Incepit ab initio prioris ſeptimanæ cum levi dolore pectoris, ſpinæ dorſi, & tuſſi ſe male habere.

Die Mercurii (venæ ſecta ante ſeptem dies) dolor pectoris factus eſt major, major quoque tuſſis; ſucceſſit lene frigus, calor, vomitus ſpontaneus mucoſus; die ſequenti iterum mucoſa ſemel ſponte vomuit. Ter vena ſecta eſt cum aliquo levamine; ſanguis ſemper fuit phlogiſticus. Dolor punctorius ad mammam dextram verſus dorſum, reſpiratio difficilis, oppreſſio pectoris, tuſſis, ſputa mucoſa, pulſus celer, mollis, non debilis. Lingua modice bilioſa, os amarum, ructus amari, ſapor amarus, nauſea, anorexia, cardialgia nulla, calor, ſitis multa.

Veſi-

Veſicans ad locum dolentem.

Notandum eſt, quod in morbi principio dolores rheumaticos artuum paſſa ſit.

Die 5. Junii.

Venæ ſectio ad unc. viij.

Cruſta rheumatica, pectus bonum, ſputa pauca mucoſa. Sitis minor.

Die 6. Junii.

Noctu tuſſis fere continua ſputa mucoſa, glutinoſa, ſitis major, difficillima exſcreatio. Pulſus fortis, plenus, non durus.

Venæ ſectio ad unc. vj.

Cruſta rheumatica.

Die 15. Junii.

Cum pulſus poſtmodum debilis eſſet, materiesque videretur cocta. Datus eſt

Kermes, dein

Camphora cum mixtura pectorali ſimplici.

Inde ſputa cocta & ſanitas.

HISTORIA MORBI LXXIII.

Die 8. Junii.

Pleuritis.

Famulus 34 annorum. Doloribus rheumaticis a ſeptem annis obnoxius, decubuit ante quatuor annos cum iisdem ſymptomatibus,

tibus, que morbum præſentem concomitantur. A quatuor ſeptimanis adfuit levis angina & catarrhus cum ſputis paucis mane prodeuntibus. Ex metu peripneumoniæ die mercurii.

Venæ ſecta.

Fuit, & angina evanuit.

Die 6. Junii.

Die jovis noctu riguit, caluit, vomuit biliosa flava; acceſſit dolor tenſivus, pulſans ſub hypochondrio ſiniſtro, advertebras lumbares ſuperiores. Tuſſis cum ſputis mucoſis ſanguine ſtriatis, cephalæa, ſitis. Ad

Venæ ſectionem

altero die inſtitutam imminuebantur ſitis & cephalalgia.

Die 8. Junii.

Heri venæ ſectio reiterabatur, inde dolor imminutus. Nox ſequens fuit inquieta, dolor major.

Die 9. Junii.

Venæ ſectio unc. vj.

Veſicans ad locum dolentem.

A meridie dolor minor in loco veſicante tentato. Dolor rheumaticus ad ſcapulam ſiniſtram. Lingua alba, ſapor ſubdulcis, alvus aperta, flatus; oppreſſio nulla, reſpi-

ratio

ratio libera, tuſſis, ſputa mucoſa, cruenta, pulſus naturali celerior, calor nullus.

Mixtura antiphlogiſtica.

Decoctum cum oxymelle.

Die 10. *Junii.*

Pectus liberius, dolores mitiores, ſputa glutinoſa, cruenta. Dolor rheumaticus ſcapulæ dicatæ, & femoris ſiniſtri. Lenior angina. Veſperi difficilis reſpiratio.

Veſicans.

Die 11 Junii.

Nulla ſputa cruenta. Facilior reſpiratio. Urina citrina. Sputa tenuiora.

Die 12—17. *Junii.*

Nota. 1) Videmus hic pleuritidem rheumaticam, cujus diſtinctiones a vera & eſſentiali pleuritide nuper dixi, & ut plures eam ſciant, cum maximi momenti ſit, in methodo therapeutica, alia vice denuo repetam.

2) Notandum, cardialgiam, dolores abdominis auctos ad attactum hic obſervari, prouti in ſaburra bilioſa ſyſtema gaſtricum occupante; verum cauti eſſe debemus, ne fors contentis crudis, indigeſtilibus, bilioſis hancce cardialgiam adſcribamus. Provenit enim a rheumatica, aut rheumatico-in-

flammatoria materie membranas illarum partium occupantes, quam venæ sectione præmissa vesicans tollit.

3) Quæritur, quænam sedes sit rheumaticæ pleuritidis? R. Pleuram, musculos intercostales, peritoneum ipsum materia hac rheumatico-inflammatoria obsideri dubium non est. Verum pulmones ipsas pariter esse affectos rheumatica hac inflammatione sputa cruenta ostendunt. Scio equidem, quantum se auctores quidam torserunt, ut in pleuritide pulmones absolvant, & vitium in solam pleuram referant, quam coactis rationibus modum explicari conati sunt, quo sputum reddi cruentum possit, absque tamen inflammatoria pulmonum labe. Verum illi, qui *Morgagnium* hac super re consuluerit, procul dubio omnis dubitatio eximetur, videbit, sedem pleuritidis in pulmone reperiri.

Quæritur quousque vena secanda? Resp.

1) Lenimen symptomatum.

2) Vis vitæ debet conservari: nunquam desperandum, ubi vis vitæ perstat integra.

An indicatio *ex sanguine phlogistico* desumitur venæ sectionis? Resp.

Nun-

Nunquam. Sunt, qui perpetuo talem ſanguinem habent. Pleræquæ item puerperæ.

An ex doloris aliqua perſtantia? Reſp.

Non. Naturæ committendum opus eſt. Si eousque vellem ſecare venam, vis vitæ nimium debilitaretur, æger exhauriretur. Fiunt *ſtaſes*, tubercula &c.

4) Commendatur *lenta feſtinatio*, non oportet *præcipitem* eſſe, ſed factis iis, quæ oportet, reliquum animo tranquillo naturæ committere. Oportet Romanum belliducem *Fabium* cunctatorem imitari, de quo *Ennius* poëta dicit, quod cunctando, ſed ſapienter cunctando romanam reſtituerit rem, ubi alter ejus ſocius præcipiti ſuo agendi modo vix non ad internecionem læſus. Perdifficile quidem perſæpe eſt, tranquillum, ſedatum, atque ad omnia attentum animum conſervare.

HISTORIA MORBI LXXIV.

Die 9 Junii.

Febris quartana cum pleuritide.

Faber lignarius 27 annotum. A longe jam tempore laborabat quartana & catarrho. Ante tres septimanas factus est apyretos; catarrhus remansit.

Die Lunæ mane post assumptam frigidam riguit, caluit, multum tussitavit. A meridie se commode habuit.

Die sequenti accessit dolor punctorius sub mammam dextram; oppressio pectoris, respiratio facta est difficilior; tussis.

Die tertio remisit dolor; oppressio successit. His diebus suo labore functus est.

A die Jovis decubuit, quo iterum matutino tempore passus est paroxysmum febrilem cum oppressione majori, & redeunte dolore. Eodem die

Vena secta est.

Diebus Veneris & Saturni nullus paroxysmus; reliqua ut die Jovis.

Die Dominica novus paroxysmus, oppressio pectoris, dolor, respiratio læsa, tussis, sputa tenuia, mucosa; pulsus celer, fortis, durus. Nulla signa affectarum primarum viarum.

Ve-

Venæ ſectio.

Cruſta phlogiſtica.

Die 10 Junii.

Octava morbi dies. Oppreſſio minor; non ſitit; caput non dolet. Pulſus fortis, plenus, durus; facies & oculi flaveſcunt. Denuo

Venæ ſectio ad unc. viij.

Mixtura antiphlogiſtica.

Decoctum hordei cum oxymelle.

Die 11 Junii.

Levamen; cubatus facilis.

Epithema.

Urina veſperi turbida cum ſedimento lateritio.

Die 12 Junii.

Nox bona; cubatus facilis. Facilius morbi tolerantur; pulſus plenus, fortis. Paroxyſmus quartanæ non rediit.

Die 13 Junii.

Urina cum ſedimento lateritio. Bene habet.

Die 17 Junii.

Bene habet per omnia. Cras redire deberet paroxyſmus quartanæ, qui tamen hucusque non rediit.

Curatus eadem methodo erat ex pleuritide & ex quartana.

Plu-

Plura hic notanda ſunt:

1) Mira morbi intermittentis quartanæ complicatio cum pleuritide, quæ rarior eſt.

2) Speciem peripneumoniæ chronicæ, quam *catarrhum* ſolummodo appellant. Vulgus peripneumoniam non inepte *catarrhos calidos* nominat. Omnis peripneumonia catarrhoſa diſpoſitio eſt, qua etiam a febre ſimplici inflammatoria dignoſcitur. Omnis ſimplex inflammatoria febris reſpirationem modice læſam inducit, ob motum humorum auctum; ſed propterea peripneumonia non eſt, etſi in eandem facile poſſit degenerare. Attamen in febre ſimplici inflammatoria deeſt tuſſis, aut perquam exigua eſt; deeſt vocis quædam mutatio, quædam raucedo; deſunt ſputa; adeſt cubatus facilis in utrumque latus.

3) Febrim hanc inflammatoriam facile tranſire in morbos pulmonicos dixi, idque in duplici horum genere. Sunt enim, qui pulmones habent ſtrictiores, vaſa pulmonica anguſtiora, quod vel duro vitæ genere & laborioſo, vel victu adſtringente vinoſo utantur, vel opificium, aut artificium exerceant, unde pulmonum adſtrictio major ſequatur, lapicidæ, piſtores, quive ad ignem exercitantur; item fabri ferrarii, ſerratii, ſiccos, ut

ut ita dicam, præ aliis pulmones habent, & ad morbos inflammatorios pulmonum magis ſunt diſpoſiti. Molitores, criſpatores (Perückenmacher) a deglutitis pulviſculis præter alios chronicos pulmonum morbos, etiam thoracis inflammationibus obnoxii ſunt. Aliud genus harum huic oppoſitam pulmonum diſpoſitionem habentium pariter & fors majoribus, lætalioribus pulmonum inflammationibus obnoxii ſunt. Ii ſcilicet, qui laxas pulmonum fibras, ſimulque ſumme irritabiles habent. Hi ſi tempore frigido, aquilonio ex cubiculo e. g. calido, repente in aërem frigidum exeant, & in pulmones laxos, ſanguine turgidos frigus ore hauriant, in letales peripneumonias incidunt, & ſæpe intra paucos dies, quin & horas ſuffocantur. Narrat *Morgagni* de epidemia quadam, Bononiæ ni fallor, peripneumoniorum letalium, quæ monachis, ſive monialibus maxime ſuneſta fuit. Maligni, divinitusque quid immiſti arbitrabantur omnes. *Morgagni* prædicerat in anatome defunctorum nil extraordinarii reperiri, eſſe diram utriusque pulmonis inflammationem. Remedia ſolummodo in larga, in utroque brachio inſtituenda venæ ſectione ſtatim, ut morbus caput extulerit, quærenda eſſe.

4) Fors

4) Fors datis medicamentis ſolventibus, facta evacuatione ſanguinea, fors, inquam, materies quartanam producens, pariter ſolvitur, ut æger ideo a pleuro-peripneumonia & a quartana ſimul liberetur. Legimus apud obſervatores, quartanas ſubinde venæ ſectione curatas; etſi communi alias lege venæ ſectio quartanam magis rebellam, quin & incurabilem reddiderit. Opinor, tunc profuiſſe venæ ſectionem in quartana, ubi lentor inflammatorius ſanguinis & plethora aderant, quibus, venæ ſectione ſublatis, obſtructiones viſcerum, materies quartanæ ſolvebantur, liberque humorum circuitus reſtituebatur.

HISTORIA MORBI LXXV.

Die 9 Junii.

Febris larvata.

Sartor 21 annorum. Die Jovis (id eſt 6 Junii) poſt frigus hauſtum æſtuavit, non friguit; cephalalgia, ſitis, debilitas.

Die ſequenti hora quarta pomeridiana dolores rheumatici artuum; his ortis cephalalgia nulla, lene frigus, calor perſeverans.

Die Saturni ſumpſit

Mixturam antiphlogiſticam:

inde

inde æſtus & dolores imminuti. Lingua impura, os ſiccum, alvus aperta, mador cutis tempore ſomni, debilitas, pulſus fere naturalis, calor nullus. Ad veſperas acceſſit levis oppreſſio pectoris.

Venæ ſectio.

Vix aliqua cruſta.

Die 10 *Junii.*

Oppreſſio pectoris; exigua cruſta; levamen.

Die 11 *Junii.*

Ad veſperam denuo artuum dolores rheumatici. (Omni alterno die veſperi rheumaticus acceſſit artuum dolor absque prægreſſo frigore.)

Cortex peruvianus.

Die 12 *Junii.*

Hodie nullus paroxismus; urina tamen noctu magis tincta erat.

Die 13 *Junii.*

Curatus cortice eſt.

Nota. Sartores morbis pulmonicis multum obnoxii ſunt, præcipue autem ſputo ſanguinis. Ratio eſt, quod corpore antrorſum multum inclinato laborent.

HISTORIA MORBI LXXVI.

Die 12 Junii.

Peripneumonia.

Lapicida 32 annorum, 9 Junii in aëre pulverulento corpus fortiter movens, bibit frigidam; quod etiam factum est sequenti die: inde raucedo, ardor in dextro pectoris latere, respiratio difficilis; tussis sicca.

Die 11. ab assumpta quadam mixtura vigesies novies fuit purgatus.

Die 12. præter priora symptomata: os siccum. Pulsus celer, fortis, subdurus. Calor; sitis.

Venæ sectio unc. viij.
Mixtura antiphlogistica.
Decoctum hordei cum oxymelle.

Die 13 — 17 Junii.

Crusta summe phlogistica. Levamen. Minor raucedo.

Die 13. denuo venæ sectio unc. viij.

Die 17 Junii bene per omnia.

Quæritur hic primo; quænam indicatio? solvere, sputa leniter promovere. Sputa supprimuntur quadruplici ex causa:

1) Ob morbi recrudescentiam, inflammationis augmentum, nimium humorum motum.

2) Ob

2) Ob vim vitæ languidam, propter quam omnes se- & excretiones tardius procedunt: hinc & sputorum excretio difficilis redditur.

3) Ob materiam sputorum crassam, tenacem, glutinosam.

4) Ob pulmonum fabricam expectorationi minus aptam. Sunt enim, quibus pulmonum vasa strictiora sunt, ob artificium, vel opificium, quod tractant; uti in iis, qui multum penes ignem laborant, fabri ferrarii, pistores, vitriarii, item qui pulveres multos exsiccantes inspirant.

Hinc quoque expectorantium classis varia est.

In primo casu convenit venæ sectio; epithemata thoraci applicata; aër tepidus inspiratus; vapor aquæ mediante spongia, vel infundibulo haustus, quod quidem paucissimi ferunt; decoctum saturatæ altheæ; mixturæ oleosæ, e. g.

℞. Aquæ font. unc. v.
Olei olivar. vitello ovi subact.
Syrup. de alth. ā̄ā. unc. iß.
M.
Omni bihorio duo cochlearia.

Ubi vis vitæ languet, ibi omnia ſic dicta cardiaca, aromatica conveniunt: infuſum ſalivæ, roris marini, veronicæ. Mixturæ, e. g. ſequentes:

℞. Aquæ ſtillat. ſalv. unc. v.
Syrup. hyſſop.
— — cinnamom. āā. unc. ß.
M.

℞. Infuſ. hyſſop. unc. v.
Syrup. hyſſop.
— — de eryſimo āā. unc. j.
M.

Si infuſa hæcce aromatica fervide ſumuntur, facilius prodit expectoratio.

Item potiuncula vini dulcis, cardiaci; qualia vina italica, hiſpanica; item hungarica, quæ commode his mixturis adduntur. Vinum rubrum budenſe, gallica vina multum commendantur. In hominibus infimæ ſortis, vino non adſuetis, præſtantius cardiacum vino non datur. Commendat vini rubri uſum hoc ſcopo *Huxhamus*.

In tertio caſu conveniunt omnia moventia, incidentia, ſtimulo tamen aromatico carentia; e. g. antimonialia: kermes, tartarus emeticus, vinum antimon. *Huxhami*, ſtibium diaphoreticum. Squillæ præparata; oxy-

oxymell colchicum, ipſi quoque millepedes. Gummi ferulacea. Formulæ ſunt variæ:

℞. Aquæ petroſel. unc. vj.
Oxymell. ſquill.
— — — ſimpl. āā. unc. j.
Stibii diaphoret. drachm. j.
Tartari emet. gr. ij.
M.

℞. Aquæ fœnic.
— — petroſel. āā. unc. iij.
Oxymell. colchic. unc. j.
Succi milleped. dr. jβ.
M.

℞. Decoct. hord. unc. v.
Aquæ fœnic.
Oxymell. ſimpl. āā. unc. j.
Stibii diaphoret. dr. j.
M.

℞. Gumm. ammon. vitell. ovi ſolut. dr. j.
Oxymell. ſquill. dr. j.
Aquæ flor. ſambuc. unc. vj.
M.

Clariſſimus *Huxhamus* in reſtitante ſputorum materie, ob ejus tenacitatem, præcipue illa ſenili, notha, pituitoſa; item ubicunque expectoratio ob glutinoſitatem ſputorum, ſi ceteroquin nihil *contraindicaret*; & ubi periculum in mora, ne æger a coa-

cervata ſputorum materia ſuffocetur, aliud conſilium iniit. Vidit enim ſic dicta expectorantia incidentia tardius agere, atque eo usque ægrum mole ſputorum reſtitantium opprimi, antequam vis expectorantium, in ſanguinem delata, in pulmonibus effectum ederet. Hinc, uti dixi, aliud conſilium iniit, *temerarium*, ſed fauſto eventu coronatum: dedit emeticum antimoniale. Idem fecit in ſalivatione variolarum reſtitante cum periculo ſuffocationis.

In *quarto* caſu, vapores conveniunt.

HISTORIA MORBI LXXVII.

Die 25 Julii.

Febris rheumatica a pituita & bile.

Puella 22 annorum, chlorotica; ab anno circiter, frigore & calore prægreſſis, menſtrua pallida, pauciſſima, & albus per aliquot dies a catameniis fluor. Crura quotidie veſperi oëdematoſa; dolor vagus artus oberrabat ſæpius hoc anno, qui poſt duos, aut tres dies denuo evanuit. Hoc anno minus appetit. Per quatuor dies ſenſus preſſionis ad cardiam, pectus oppreſſum, reſpiratio difficilis. Ante tres menſes ſputa cruenta, pauca tamen; oppreſſio tunc minor,

nor, & ſputum cruentum evanidum. Dedolatio vero hucusque magna, dolorque totius corporis, artuumque pungens per intervalla antea redire ſolitus, nunc continuus eſt, ſæpius per diem exacerbatur. Os mane mucoſum, amarum; ad tumorem pedum oëdematoſum accedit crurum ardor; utrumque genu tumet, ut præ doloris ferocia pedem extendere haud poſſit. Paroxysmus hic rheumaticus per tres fere menſes, ſæpius & incertis intervallis per diem acrius affligit, attamen nunquam penitus abeſt; paroxysmo finito, carpi, genuum & pedum tumor evaneſcit. Per hos tres menſes ſputa pauca rejecit, pauco ſtriata ſanguine.

20 Julii frequentior rheumatis paroxysmus. Calor, ſitis. Decumbere coacta. 21 — 23 omnia aucta.

23. In noſocomium ſuſcepta. Os amarum, mucoſum. Lingua impura.

Dolor ad ſcrobiculum, attactu auctus. Reſpiratio difficilis, pectoris oppreſſio. Rheuma totum corpus oberrans, thoracis latera præprimis infeſtans; dolor attactu auctus. Tumor in ſiniſtro genu. Pulſus celer, plenus, fortis. Dolor ad noctem gravior.

Die 24 Julii.

Dato emetico vomuit multam pituitam, flavo - viridescentem, amaram. Dolorum lenimen; oppressio thoracis minor. Genu quoque paulo detumuit.

Noctu dolorum exacerbatio. Inter dormiendum sudor largus; inde levamen.

Finito quolibet paroxysmo, parvæ maculæ livescentes in pede dextro apparent, sensim iterum evanescentes.

Die 25 Julii.

Dolor artuum exiguus. 26. Noctu sudor, nullus dolor, tumor genu nullus. Crura tamen modice, ut solet, oëdematosa.

Die 27 Julii.

Nox bona, nullus dolor artuum amplius, sed sterni adhuc ardor, & sputa cruenta.

Data est mixtura salina cum drachm. iij. arcani duplicati, ut alvus moveatur; alvus tantum semel mota est.

Die 28 Julii.

Nox bona, nulli dolores; vesperi denuo tumere genu, & dolere cepit. Alvus semel. Nulla cruenta sputa.

Die

Die 29 Julii.

Tinctura rhei aquoſa, & mixtura ſalina aa unc. iij. Die 30. Julii bene per omnia, nullus tumor, nullus ullibi dolor.

Die 31. Julii.

Ardor thoracis, dolor per brachium dextrum ad usque extremos digitos lacerans; pauca cruenta extuſſit; dolor in genu ſiniſtro. Vomituritio. Emeticum; vomuit pituitoſa. Dein data arnica, & veſicans ad locum intra ſcapulas. Ab emetico dolor multo minor.

Die 1 Auguſt.

Aliquis in thorace dolor. Nil ſanguinis in ſputis. Dolor tumorque in genu minor. Pulvis arnicæ.

Die 3. Auguſt.

Purgans ex manna & ſale. Genu ſiniſtrum minus dolet. 4. Salina. 7. Hucusque continuo purgabatur cum levamine.

HISTORIA MORBI LXXVIII.

Die 14. Junii.

Paralyſis brachii & pedis.

Puer 9 annorum. Ante 1 1/2 annum efflореſcentias capitis habuit, ſcabiemque purulentam per quatuor menſes durantem adquiſivit. Cura nulla adhibebatur. Secutæ ſunt

variolæ copiosissimæ, partim bonæ, partim malæ. His sanatis laxans propinabatur. Secuta denuo scabies purulenta per totum corpus, quatuor mensibus durans. Unguento ultimo mense ex floribus sulphuris & butyro recenti adhibito sub axillis, in inguinibus, aliisve articulis disparuit scabies. Secutus dein tremor manus dextræ, qui negligebatur, malum augebatur, ac manus cum pede dextra paralytica facta.

Die 5. Junii ad Magnif. de Haen brachio immobili curvatoque, potentia tamen non ablata in somno brachium & pedem movendi, venit. Dabatur sequens:

℞. Rasuræ ligni sassap.
— — liquiritiæ āā unc. j.
Flor. sambuc.
— chamomil. āā mp. ij.
HB. Meliss. mp. iij.
Sem. Cardamon. min. dr. ij.

Conc. Cont. Divid. in part. jv. Singul. affunde vesperi mens. j. aquæ ferv. sequenti mane momento coqu. de colatura sum. Omni trihorio vascul.

Insideat quoque quotidie balneo calido, linteisque affectæ partes fricentur.

Die

Die 15. August.

Rediit ſcabie apparente in affecto brachio, paucaque emendatione. Dab. ſequens:

℞. Sapon. venet. unc. β.
Gummi ammoniac. dr. ij.
Maſſæ pilul. Ruffi. dr. j.
Therebinth q. ſ. f. pill. gr. jv.

S. quater de die jv. cum vaſculis ij. ſequentis:

℞. Rorismarin.
Lavendul.
Abrotan. āā mj.
Maris ſyriaci mβ.

C. D. U. M. j. infund. cum libr. jβ aquæ ferv.

Die 21. Aug.

Emendatio nulla, niſi brachium ab aliis ſine dolore movebatur.

Continuantur medicamenta.

Scabies per hoc tempus apparuit, disparuit vagus capitis dolor, calor manus affectæ major, ceterum bene proſpicit modo, uti & antea.

HI-

HISTORIA MORBI LXXIX.

Die 15. Junii.

Pleuritis rheumatica

Vidua 46 annorum, omni ſecunda, tertia ſeptimana, copioſa, nigra menſtrua paſſa eſt. Ante breve tempus ultima adfuerunt.

A meridie die Veneris friguit, caluit; ad noctem acceſſit dolor in dorſo.

Sequenti die aderat levis dolor ad mammam dextram; nox ſequens inquieta, dolor in dorſo erat auctus, acceſſit dolor iſchiadicus, qui ab acetabulo dextro usque ad malleolum ſæviit, ad meridiem imminuebatur, calor augebatur; horrores vagi, dolor punctorius in latere dextro inter tuſſiendum & inſpirandum, tuſſis cum ſputis ſanguine ſtriatis.

Sequenti die dolor reliquit latus; & migravit ad ſternum cum oppreſſione pectoris & reſpiratione difficili. Pulſus fortis, plenus, durus, non frequens; dolor gravativus in pectore; dolor levis iſchiadicus, reſpiratio ſatis libera; calor. Linguaślioſa, os amarum, ructus amari, ſitis multa, cardialgia, alvus ſtriata.

Die Saturni bis ſponte vomuit, lien eſt induratum.

Ve-

Venæ ſectio ad unc. viij.
Veſicante ad latus dolens &
Methodo antiphlogiſtica
brevi convaluit.

HISTORIA MORBI LXXX.

Die 15. *Junii.*

Fœmina 35 annorum, maritata ante quinque menſes peperit, ante triduum ablactavit infantem.

Pleuritis rheumatico-biliosa.

Die Martis leniter friguit, æſtuavit cum cephalæa, dolore punctorio in dorſo, doloribus rheumaticis in ſcapula & axilla ſiniſtra; reſpiratio fuit difficilis, tuſſitavit, ſputavit cruenta.

Vena ſecabatur absque levamine, ſanguis fuit pleuriticus.

Die Mercurii ſymptomata hæc perſtiterunt.

Die Jovis ſæpius ſponte vomuit, ſemel biliosa, alias aſſumpta potulenta & ſæpius purgata eſt.

Die Veneris
Venæ ſectio
repetita eſt, cum aliquo levamine. Lingua alba, mucoſa, os amarum, fœtor oris, cardialgia, tenſio hypochondriorum, alvus nulla,

la, dolor & tenſio mammarum, dolor dorſalis, dolores rheumatici ſcapulæ & axillæ; reſpiratio difficilis, tuſſis, ſputa mucoſa, cruenta, pulſus frequens, mollis.

Decocto hordei
Mixtura antiphlogiſtica &
Veſicante

curata fuit.

HISTORIA MORBI LXXXI.

Die 18. *Junii.*

Pleuroperipneumonia bilioſo-inflammatoria.

Sartor 23 annorum. Heri mane friguit, caluit cum oppreſſione pectoris, dolore gravativo ad ſternum, dolore in dorſo, cardialgia, debilitate & gravitate artuum, noctem inquiete peregit, multum caluit; acceſſit dolor punctorius, ſub coſtis infimis ſiniſtri lateris, oppreſſio facta eſt major, reſpiratio difficilis, tuſſitavit, nulla ſputa projicere potuit, bis ſponte vomuit.

Mane prodierunt pauca ſputa mucoſa ſanguine ſtriata; frigora intercurrentia, calor, oppreſſio pectoris, reſpiratio difficilis, dolor, tuſſis, pulſus celer, fortis, ſubdurus, cubatus in latus dolens, difficilis, lingua modice flava, & reliqua ſigna ſaburræ

pri-

primarum viarum, quæ jam per quinque ſeptimanas adfuere.

Ante quatuordecim dies alvus incepit fieri diarrhœica, & ſemel hac nocte eſt mota; ſitis, exiguum ſanguinis ſtillicidium ex naribus.

Venæ ſectio ad unc. vj.

Die 19. *Junii.*

Sanguis cruſtam non magnam exhibuit, oppreſſio facta eſt lenior; cardialgia minor, ſputa prodeunt pauca aquoſo-glutinoſa ſanguine ſtriata, urina bilioſa. Lingua impura, amaror oris emendatus, ructus nulli, vomiturītiones, ad potulenta alvus nulla.

℞. Decoctum hordei ℔ij.
Pulp. prunorum
Roob ſambuci āā unc. ij.
Nitri depurati dr. ij.
M.
Decoctum cum oxymelle &
Enema a meridie.

Alvus bis mota, oppreſſio major, reſpiratio difficilior, dolor auctus, tuſſis multa, ſputa pauca, pulſus celer, fortis, plenus.

Venæ ſectio.
Veſicans veſperi ad latus dolentem absque levamine.

Die

Die 20. *Junii.*

Hodie venæ ſectio ad unc. x. exiguum levamen, cruſta ſumme phlogiſtica. Pulſus fortis, plenus, ſubdurus; diarrhœa. Hinc ſaturatum decoctum altheæ. Alvus compreſſa.

Veſperi ſecta eſt vena unc. x., iterum unc. v.

Die 21. *Junii.*

Nox melior. Reſpiratio melior. Epithema ad thoracem.

Mixtura antiphlogiſtica.

Tuſſis ut ante; nulla, niſi pauca aquoſa, non ſanguinea ſputa. Os emendatum.

Meridie venæ ſectio ad unc. vj. Veſperi unc. vij.

Die 22. *Junii.* (dies morbi ſexta)

Urina ruffa cum eneoremate ſubſidente. Nox melior. Reſpiratio melior. Sputa nulla, niſi pauca aquoſa cum ſanguine.

Venæ ſectio ad unc. vj.

Exiguum levamen.

Die 23. *Junii.* (d. m. 7.)

Nox uti heri. A meridie major oppreſſio. Pulſus fortis, durus. Sputa pauca. glutinoſa, ſpermati ranarum ſimilia. Diaphoreſis. Urina non ruffa, ſed crocea, fere naturalis. Veſperi

Ve-

Venæ ſectio ad unc. viij.

Die 24. *Junii* (d. m. 8.)

Nox uti heri. Hodie tota die diaphoreſin. Sputa glutinoſa, quædam cocta pauca. Veſperi pulſus bonus, pectus oppreſſum.

Veſicantia.

Die 25. *Jun.* (d. m. 9.)

Nox inſomnis. Omnia meliora.

Die 26. *Junii.* (d. 10. m.)

Heri alvus quinquies mota. Pectus bonum. Sputa cocta.

Bene ſe habet.

Nota. 1) Urina nunquam cocta fuit, nunquam ſedimentum in urina. Sed die ſeptimo repente quaſi naturalis adparuit.

2) Morbus diaphoreſi judicatus eſt. Dein ſputis & alvo.

3) *Criſis* fere ſubito fit, ſed *evacuatio critica* continuat. *Die critica* incipit. Raro criſis fit diaphoreſi in morbis pectoris, ſed ſputis.

4) Dantur morbi pectoris inflammatorii, qui miliaribus judicantur. Si materies tenuis, multumque diluta ſit, per diaphoreſin abibit. Si craſſior, hærebit illa in vaſculorum cutaneorum ſuperficie externa & papulas excitabit, quæ magnitudinem, & formam ſeminis milii referunt. Erunt cri-

ticæ, ut parotis, aut metastasis quævis critica dicitur. Sed utique crisis talis, qua melior dari potest. Si pleuritis sit mere inflammatoria, raro aut fors nunquam judicatur *miliaribus*, sed si vitium biliosum primarum viarum adsit, sique biliosa colluvies attenuata, dilutaque resorbeatur, frequentissime milliaria, & petechiæ accedunt. Quæritur an etiam petechiæ criticæ sint? Resp. hoc in casu non fuisse.

1) Quia primis diebus coctione non prægressa ortæ.
2) Quia paucæ, nil enim exiguum est judicatorium.
3) Quia absque levamine præterea petet chiæ aut nunquam aut rarissime criticæ fuere, & non nisi in morbis quibusdam pestilentialibus.

HISTORIA MORBI LXXXII.

Die 20. Junii.

Pleuritis latens.

Sutor 18 annorum alias semper sanus si scabiem excipis, qua ante hunc morbum vexabatur. Friguit ante 3 septimanas sine calore superveniente; accessit dolor ad utrumque thoracis latus cum levi oppressione pectoris, tussi moderata, siti.

Se-

Secundo, tertio morbi die aſſumpſit pulverem purgantem, inde ſibi melius factum fuiſſe ajebat.

Per quatuordecim dies ſe ſat commode habuit, remanſerat levis oppreſſio, & laſſitudo, ſudavit ad thoracem, claviculam, collum. Horruit omni quarto die. Nunc horrores ceſſant, oppreſſio pectoris paulo major facta eſt, tuſſis major cum ſputis mucoſo-albis, pulſus celer, fortis; durus; lingua pura.

Decoctum ſaturatum radicis altheæ. Facta venæ ſectio ad unc. viij. binis vicibus, & curabatur antiphlogiſticis.

HISTORIA MORBI LXXXIII.

Die 5. Julii.

Fœmina 23 annorum, lotrix. Semper ſana vixit, ſi excipias febrem continuam, qua ante dimidium annum hic decubuit. Menſtrua habuit ſemper pauca, irregularia, per tres menſes nulla, a quo tempore urinæ ardor. A quatuor ſeptimanis oppreſſio pectoris & reſpiratio difficilis; ante octo dies gravitas artuum. Os amarum, ructus amari, inappetentia, ſitis, cardialgia & dolores in

Febris bilioſa.

domine, alvus diarrhœica; ante ſeptem dies vena ſecta eſt, in pede eadem ſymptomata, ſic quoque ante ſex dies. Ante quinque dies, id eſt die Lunæ, apparuere menſtrua, dolores ventriculi & abdominis augebantur, vomuit octies bilioſa una cum tribus lumbricis, acceſſit frigus, calor, pruritus in cute cum exanthematibus urticatis; menſtrua ſteterunt, aderat multa ſitis, oris amaror item alvus laxa. Cephalalgia, oppreſſio pectoris major, reſpiratio difficilior; mox diem lunæ excipiens inquieta.

Die martis caluit, vomuit ter ingeſta & bilioſa, reliqua ſymptomata perſtiterunt.

Die mercurii ſat commode ſe habuit, ut erecta corpore eſſe potuerit, omnia ſymptomata mitiora, nulla febris, exanthemata nulla, vomitus nullus, alvus ſiluit. Heri 5ta Jul. calor ſitis, ter vomuit bilioſa, & bis purgata eſt, ceaphalalgia, ructus amari, cardialgia, & preſſio ventriculi, dolores lancinantes in regione umbilicali, oppreſſio pectoris major. Reſpiratio difficilior. Cephalalgia, lingua bona, os amarum, ſapor non bonus, ſitis, ructus amari, vomituritiones, cardialgia, dolores in abdomine, laxa alvus, ardor urinæ, oppreſſio pectoris, reſpiratio difficilis, calor non magnus, ardor cutis, exanthe-

mata

mata urticata, pulſus plenus, fortis, naturali celerior. Mixtura ſequens:

Aquæ ſamb. unc. v.
Oxymellis ſimp.
Roob ſambuc. ℞ ℥j.
Arcan. dupl. ʒjβ.
M.

Decoct. hordei cum Oxymell.

Exanthema urticatum evanuit; os bonum; Reſpiratio melior. Aliqua adhuc cardialgia.

Die 6. Julii.

Pulſus naturalis. Omnia ut heri. Repetita priora.

Die 7. Julii.

Mane paroxysmus febrilis.

Die 8—10. Julii.

Bene.

Nota 1) Morbum hunc lente incepiſſe, tardeque progreſſum eſſe. Id morbis bilioſis magis eſt familiare. Apparatus crudus *longo tempore* generatur, Secus in inflammatoriis.

2) Nota oppreſſionem pectoris & perdifficilem reſpirationem, id ſympathicum cum primis viis erat. Nam evacuationibus factis alvo & ore, emendabatur pectus. Male ergo in hac oppreſſiones pectoris & venæ ſectio fuiſſet inſtituta, dataque fuiſſent mu-

cilaginofa, emollientia. Oppreffio pectoris in lotricibus peculiarem meretur attentionem. Nam cum corpore antrorfum inclinato inter lavandum vaporem aquæ calidæ inhalent, oritur tum a fitu corporis tum ab ipfo vapore major fanguinis coacervatio in capite atque inprimis in pulmonibus, unde eorundem ***laxitas***, ***plethora***, oritur, item vafa diftenduntur, varicofa fiunt. Sputum fanguinis, fuppreffa menftrua.

3) Ardor urinæ. Oppletis inteftinis crudo apparatu, paucum & ftranguriofum mictum fæpe obfervamus. Eadem materies quæ prurientes maculas urticales in cute facit, ad urinarias vias delata ardorem efficit. Monendum eft de hoc fymptomate, ne forte aliud quid fubeffe quis exiftimet. Mictum parcum difficilem in febribus gaftricis *Baglivius* jam notavit.

Quæritur 1) quænam hujus febris natura? Refp. ad gaftricas pertinet, ob vomitus fpontaneos biliofos, oris amarorem, ructus pravos. Erat continua remittens *ad initium* absque certa lege rediere exacerbationes.

2) Unde indicatio defumebatur? Refp. a fymptomatibus principalibus, magis urgen-

gentibus, a crudo viarum primarum apparatu.

3) Quomodo huic indicationi satisfactum? An vomitoriis & quare non? Resp. Natura sponte vomitum movebat, alvus erat clausa, opus ergo solum fuit, medicamento solvente ut spontanea huic excretioni aptior redatur materies in primis viis restitans. Cumque semper etiam intestina impura sint, opus erat medicamento simul eccoprotico. Hinc mixtura ex aqua samb. unc. v. roob samb. & oxymell. simplic. āā unc. j. Arcan. dupl. ℨjß. Decoctum hordei cum oxymell. Postmodum omissum sal est, cum alvus moveretur sufficienter.

4) Quae idea solventium? Solventia ea sunt, quae in crassa, tenacia, pituitosa agunt. Huc ergo pertinent omnia mere aquosa; aquosam coctiones, decoctum hordei, graminis, proprie solventibus adnumerat; mitissima haec sunt & proprie solum diluentia deberent appellari.

Solventia mitiora sunt, succi recentes herbarum. saccharum, mel,

2) magis solvunt salia media. Dein gummata ferulacea.

3) potentius solvunt antimonialia,

4) adhuc magis ſolvunt mercurialia, ſed ſimul craſſim ſanguines acrem reddunt, & ad putredinem diſponunt. Potentiſſima ſunt aconitum, cicuta, flammula jovis, quæ efficacia fuere in morbis ad omnia reliqua ſolventia rebellibus.

5) An exanthemata non erant reſpicienda, an ratio agendorum non erat inde petenda? Reſp. Non, id enim ſymptoma, ſive adſit, ſive non adſit morbum non reddit nec faciliorem, nec difficiliorem; idem de miliaribus, itemque de petechiis dicendum eſt. Vidimus eſt morbus *gravis* absque his, & eosdem ſpecie morbos *leves* absque his, vel & cum hisce efflorescentiis. Hinc inter accedentalia ſymptomata numerantur.

6) Quænam regula practica obſervanda eſt, ſi *plura* occurant ſymptomata, quænam indicationem ſuppeditaræ debent? Reſp. In concurſu plurium ſymptomatum reſpici illud vel illa debent, quoram præſentia vel abſentia magis urget.

HI-

HISTORIA MORBI LXXXIV.

Die 9. Julii.

Febris maligna.

Juvencula 22 annorum, chlorotica, quæ tamen ordinata, & copiofa menftrua habuit, 14 dies ante morbi hujus acceffum frigore corripitur, calore fubfequo, & valida fiti; cum cephalalgia, & artuum dædolatione. Intermittentium more febris redibat, at incerto circuitu, quarto, etiam quinto die, paroxysmo interim inter quatuor horas perfecte foluto.

Die 29. Junii menfes copiofi, cephalalgia. Sequenti die nullus menfium fluxus. Artuum dædolatio, appetitus proftratus. Ea die verfus vefperam in febrem continuam incidit. Die 2do Julii ab hauftu fpiritus vini calor valde intenfus. Die 5. Julii i acceffit diarrhæa; ut plus quam 20es alvus poneretur. Major inde virium debilitas. Eodem die venæ fectio, parca quidem, at 7ma Jul. largius in pede inftituta: absque levamine tamen, & perftante alvi fluxu.

Die 9. Julii.

Cephalalgia ingens; amaror oris; linqua prærubra, glaberrima; deglutitio diffi-

cilis ob fauces aridas. Diarrhæa; ſitis magna, magnus calor. Pulſus debilis.

Mixtura ſalis ammoniaci.

Die 10. *Julii.*

Datum emeticum; ne autem emeticum in purgans vertatur, præmiſſus eſt bolus ex theriacœ Andromochi dr. ß. Alvo ſic compreſſa, poſt duos horas datum emeticum eſt.

Vomuit multum pituitæ; diarrhæa. Exiguum levamen.

Infuſum Decoctum rad. arnicæ.

Die 11. *Julii.*

Eodem ſymptomata. Datum a meridie emeticum. Vomuit pituitam cum bile.

Idem.

Die 12. *Julii.*

Nulla cephalalgia, nullus amaror oris Lingua ſicca; calor modicus. Pulſus ferme naturalis. Alvus tota die ſiluit. At ingens dædolatio.

Idem infuſo-decoctum.

Die 13. *Julii.*

Alvus ſemel mota. Febris nulla. Lingua humida hodie eſt, mucoſaque, ſapor minus amarus.

Infuſo decoctum arnicæ.

Die

Die 14. Julii.

Eodem, ut heri. Magna debilitas. Nulla febris.

Idem remedium.

Die 15. Julii.

Datum emeticum. Vomuit pituitoſa colore, ſed ſapore amariſſima. Dejecit aliquoties. Nulla febris.

Decoctum corticis.

Die 16. Julii.

Lingua mucoſa, ſputa mucoſa. Ob pulſum debiliorem, & cum denuo diarrhæa immineret.

Pulvis radic. arnicæ omni bihorio.

Die 17. Julii.

Lingua glabra denuo, & reſiccata. Febris vel nulla, vel exigua. Alvus ſubſtitit. Solum queritur debilitatem.

Omni 4 horio dr. β. rad arnicæ cum decocto hordei & oxymell.

Die 20—26. Julii.

Omnia bona. Debilitas. Arnica omni 4 horio, cum decocto hordei & oxymelle.

Die 21 & 22. Jul. Debilitas. Cætera bona. Eadem repetita 23. Minor debilitas, appetit.

Die

Die 26. Jul. Reconvalescit, ſumit ſtomachica.

Nota. 1) Purgans, aut ſpontanea diarrhæa vires convellit, materiem non ſufficienter evacuat.

2) Venæ ſectio male inſtituta, ex morbo mere gaſtrico fecit malignum.

3) Aliquoties feliciter hoc uſus ſum ſtratagemate, ut alvum theriaca (utut eam morbus princeps haud exigeret, quin potius contraindicaret) compreſſerim, & tandem ea compreſſa emeticum cum utilitate propinarem.

4) Rariſſime diarrhæa emetico tollitur. Emeticum alvum nimis fluentem reddit fluidiorem, vertiturque in purgans; hoc ſæpe cum magno tædio expertus ſum.

5) Quæritur, quis uſus corticis peruviani, & quis radicis arnicæ ſit? quæ notio malignitatis?

HISTORIA MORBI LXXXV.

Die 11. *Julii.*

Petechiæ.

Fœmina 32 annorum. Ab infantia habet dolores rheumaticos. Ante 1/2 anno peperit, lactavit infantem qui mortuus eſt; ante tres ſeptimanas menſtruavit. Poſt puerpe-

erperium conquesta est de dolore circa tempora, de siti insolita, de ore acido amaro, ejusque siccitate; nausea, incipientibus lipothymiis, inappetentia & cardialgia jejuno ventriculo majori. Ante quinque septimanas ob dolores capitis vena secta est, sed absque levamine. Die Lunæ motu in curru prægresso experta est, horripilationes vagas caloribus mixtas & alternantes ad noctem, accessit dolor punctorius sub infima costa sinistri lateris usque ad supremam costam spuriam per tres horas uno tenore pergens, cum respiratione difficili & oppressione ad scrobiculo cordis aliquid versus fauces ascendit, cum sensu constrictionis faucium, ac si esset globus hystericus; decumbere in latus affectum non potuit. Noctu adhuc vena secta est; paulo post dolor lateris mitior, sed oppressio major, respiratio difficilior, ut vix loqui potuerit; nulla aderat tussis. Sed sitis multa, nausea, vomiturititiones; horrores vagi cum caloribus; os amarum. Vena secta est; dolor evanuit, oppressio mansit; sensus constrictionis faucium erat minor. Sic die martis pergit, die mercurio assumpsit purgans, inde alvus non multum movebatur, alvus figurata semel respondebat; symptomata erant prava. Lingua pura, modice alba.

alba. Oppreſſio minor, dolor nullus, ſomnolentia, & tinnitus aurium, & petechiæ puncticulares ad brachia & collum.

Mixtura ex roob ſambuci.
Decoctum cum oxymelle.
Clysma.

Semel ſponte vomuit. Dato emetico copioſiſſimam quaſi amurcam vomuit; evanuere petechiæ, & die 19 Julii ſana disceſſit.

Nota.

1) Poſt ſectam venam major orta oppreſſio.
2) Statim a vomitu disparuere petechiæ.
3) Notanda eſt cita convaleſcentia.

HISTORIA MORBI LXXXVI.

Die 16 Julii.

Petechiæ.

Fœmina 23 annorum; a tribus diebus habet menſtrua, ante ſeptem dies conqueſta eſt de cephalalgia, *debilitate*, *laſſitudine artuum*, *reſpiratione difficili*, inappetentia, caloribus vagis, ſiti; os fuit mucoſum, ſpiritus fœtidus. Sic & die Jovis & die Veneris, quo in pede
vena ſecta
f--- levamine. Accedebant nauſea & vomi-

tu-

turitiones; noctes erant satis quietæ, & ægra adhuc fungebatur suo labore.

Die Saturni manus sinistra afficiebatur dolore rheumatico cum flexione minus facili digitorum, reliqua symptomata pergebant.

Die Dominica dolor rheumaticus quoque manum dextram occupavit; ob cephalalgiam decumbere debuit; post meridiem accessit lene frigus, calor, sudor, & menstrua fluere inceperunt.

Die Lunæ mane melius se habuit; post meridiem cephalalgia, oscitationes, calor, sudor, multa sitis, nox inquieta cum insomniis. Manum sinistram dolor rheumaticus reliquit; cephalalgia; lingua alba, siccescens; os mucosum, petechiæ, pulsus naturali celerior. Alvus libera.

Decoctum eccoproticum, dein emeticum, denuo eccoproticum.

Et ita die 10 Julii bene habuit.

Nota. 1) Febris biliosa cum petechiis.

2) *Rheumatismus biliosus* in malignis frequenter a nobis est observatus.

3) Huic *stante menstruorum fluxu* data est radix ipecacuanha, cum symptomata *febris*

bris malignæ id depoſcerent. Frequenter ſtante fluxu menſtruo innoxie, re ſic exigente, datum eſt emeticum.

HISTORIA MORBI LXXXVII.

Die 17 *Julii.*

Pleuro-peripneumonia rheumatica.

Juvenis 13 annorum, ante 1/4 annum annum morbo inflammatorio per ſeptem ſeptimanas decubuit in noſocomio Pazmaniano. Aeſtuante corpore 15 Julii frigidam hauſit; ad veſperas correptus eſt frigore levi, calore, & dolore rheumatico omnium artuum. In hoc ſtatu noctem peregit. Altero die acceſſit oppreſſio pectoris, reſpiratio difficilis, dolor punctorius in latere ſiniſtro; tuſſis rara; debilitas, cephalalgia, horroresque vagi caloribus mixti.

Hæc ſymptomota hodie adhuc perſtant. Dolores artuum leniores; pectus dolet ad attactum; in latus ſiniſtrum difficulter decumbit; dolor lateris ſiniſtri vix non ceſſavit. Pulſus celer; calor, ſitis, lingua alba, ſapor bonus, os ſiccum.

Venæ ſectio unc. vij.
Mixtura ſambuci.
Decoct. hord. cum oxymelle.

A me-

A meridie paulo melius ſe habuit. Sanguis emiſſus phlogiſticus. Dolor lateris ceſſat, melius in hoc latere decumbit. Pectus fert attactum ſine dolore. Alvum ſemel depoſuit. Conqueritur de dolore in dorſo. Abdomen dolet ad attactum.

Veſicans ad pectus.

Dolores bihorio poſt ſublati.

Die 18 *Julii.*

Bene per omnia habet; pectus liberum; non febricitat.

Die 19 *Julii.*

Tota nocte ſudor; oppreſſio pectoris; calor. Mane perſtitit febris; nulla tamen amplius oppreſſio. Lingua impura. A meridie datum

Emeticum.

Vomuit mucoſa, glutinoſa, ſapore amara, non multa; ſed alvum aliquoties dejecit. (Videtur ſaburra fuiſſe potius in inteſtinis); lingua bilioſa.

Die 20 *Julii.*

Noctu denuo calor, absque prægreſſo frigore, cum oppreſſione pectoris, & ſudore; attamen longe minor paroxysmus.

Die 21 *Julii.*

Denuo minor paroxysmus noctu rediit.

Datus cortex eſt.

Die 22 — 25 *Julii.*

Nox bona. 25. Hac nocte questus est gravitatem capitis. Sumpsit mixturam eccoproticam salinam.

1) Notanda est species peripneumoniæ.
2) Effectus vesicantis non ab *exulceratione.*
3) Dolor abdominis rheumaticus.

HISTORIA MORBI LXXXVIII.

Die 3 *Augusti.*

Petechiæ.

Fœmina 30 annorum. Menstrua semper ordinata habuit; ante tres dies accelerata periodo apparuerunt, sed non amplius adsunt. A tribus diebus se male habet: semper adfuere cephalalgia, sitis, os amarum & mucosum, respiratio difficilis, anxietates, oppressio & dolor ad scrobiculum cordis, frigus, calor, ructus pravi, nausea, vomiturititiones, vomitus spontanei biliosi; perseverante dolore, aliisque symptomatibus omni die ad quintam pomeridianam leve frigus rediit; lingua impura, pulsus celer, calor naturalis, gravitas omnium artuum; petechiæ. Vesperi delirium. Datum

Eccoproticum solvens.

Die

Die 4 *Augusti.*

Datum

Emeticum ex ipecacuanha.

Vomuit multa, atra, viridia. Caput levius, omnia aliquantulum emendata. Non delirat.

Die 5, 6 *Augusti.*

Lingua ex albo viridescens, os amarum, omnia ut heri.

Emeticum.

Biliosa vomuit.

Die 6 — 8 *Augusti.*

Sanata est.

Nota. I. Morbum petechialem cum signis apparatus crudi; unde vere elucescit:

1) Affinitas inter malignos & biliosos.
2) Genesis efflorescentiarum in primis viis.
3) Qua ratione vomitus prosit.
4) Symptomata malignitatis.

In hac ægra videndum potius, quid non sit faciendum, quam quid oporteat facere.

II. Videamus, quænam non conveniant.

1) An venæ sectio? morbus inflammatorius non est. Primæ viæ manifeste laborant.

2) An emeticis, eccoproticis? Lente & caute agendum. Materies soluta non est.

 3) An

3) An antisepticis, cortice, spiritu vitrioli? Materiam morbi hæc non solvunt, non eliminant, non corrigunt. Materiam morbi *naturæ alcalinæ* esse in putridis morbis quidam putant; at vero insufficiens hæc idea est, & falsa. Sæpe ipso gustu acida, austera deprehenditur. Hæc idea penes furnum chemicum nata est, & solum qua metaphora admittitur. *Natura* materiæ *varia* omnino est, sufficit *alienam* esse, &, si sanus humoribus misceatur, *nocivam*. *Acida* vegetabilia & solummodo diluendo, solvendo, & vim saponaceam exerendo prosunt, itemque quatenus omnes sectiones promovent, quatenus *amica* sunt corpori nostro; mineralia autem prosunt, non ex eo, quod cum materia putrida alcalina salem medium componant, sed quod vim vitæ blande stimulant, fibras relaxatas lenissime stringunt, & acri suo, nobis amico, excretiones & secretiones promoveant.

Hinc spectatis omnibus nil convenire videtur, præter potus solventes, saponaceos, mellitos, quibus fors brevi dosis ipecacuanhæ subjungetur.

HI.

HISTORIA MORBI LXXXIX.

Die 1 *Octobris.*

Icterus.

Sutor 20 annorum, ſanus a multo tempore; elapſis circiter quinque ſeptimanis proſtratum ſentit appetitum, corporis laſſitudinem, mane præcipue. Univerſim ad conſuetos labores minus idoneus. Intermittente febre nunquam laboravit. Ceterum absque febre. Alvus ſemper dura, per triduum ſæpe obſtructa, atque per tres ferme ſepti manas immorigera, donec ante quatuordecim dies ſponte diarrhæica evaderet, colore interim icterico per totum corpus diffuſo; rediit tunc appetitus, vigor priſtinus rediit.

In noſocomium ſuſceptus præter ictericum colorem & alvum obſtructam, nullum ſymptoma exhibuit.

Decoctum hordei cum oxymelle.
Mixtura ſalina.

Die 2 *Octobris.*

Alvus nulla.
Salis amari unc. jβ.

Die 3 Octobris.

Sumat omni bihorio

Radicis arnicæ dr. β.

Vomuit pauca biliosa. Idem icterus. Addidi ad singulas arnicæ doses

Salis ammoniaci scr. j.

Et die 7 Octobris a meridie color lætior, minusque flavescens.

Die 8 Octobris.

Cum denuo saturatius tingeretur, dedi hodie

Sulphuris aurati antimonii tertiæ præcipitationis gr. iij.

sexies per 24 horas. Et postera die dedi grana jv.

Die 11 Octobris.

Dilutior color. Sumat pro dosi

Sulphuris aurati gr. vj.

optime enim fert.

Die 19 Octobris.

Jam a biduo sumit

Sulphuris aurati scr. β.

Dilutissima tantum flavedo. Nulla excretio a sulphure aurato observatur. Absque ullo incommodo fert hanc dosin.

Die 21 Octobris.

Sanus discessit.

HI-

HISTORIA MORBI XC.

Die 29 Septembris.

Pleuritis spuria.

Sartor 19 annorum, 21 Septembris sera vespera horruit, incaluit, nox insomniis turbata. Sequenti die dedolatio, dolor lateris punctorius, oppressio thoracis; sapor oris depravatus. Continua hucusque febris; lateris tamen dolor tertia morbi die evanuit. Septima morbi die diarrhæa. Octava in nosocomium receptus.

Dolor capitis vehemens, assiduus, dilacerans, caput retrotrahens. Pectoris oppressio; os amarum; dedolatio; calor assiduus; tussis frequens; cardialgia; pulsus celer, fortis, durus; alvus nulla. Delirium.

Decoctum eccoproticum.

Die 30 Septembris.

Secta vena unc. xij.

Crusta phlogistica magna. Levamen.

Die 1 Octobris.

Mixtura antiphlogistica.

Decoctum hordei cum oxymelle.

Nullus in ore amaror; at lingua humida, impura; at incipiens glabrities. Nulla cardial-

 gia.

gia. Oppreſſio aliqua pectoris. Pulſus plenus, fortis, non multum celer. Calor.

Die 2 Octobris.

Emeticum.

Multa bilioſa, vitellina vomuit. A vomitu nulla prorſus febris, debilitas magna. Caput & pectus prorſus emendata.

℞. Mixturæ ſolvent. libr. β.
Cortic. peruv. dr. iij.
Sal. ammon. dr. ij.
M.

Die 3 Octobris.

Bene per omnia.

Mixtura eadem.

4 Octobris exigua febris, reliqua bona. Repetita priora. 5 Oct. Exigua febris, reliqua bona. Repetita priora.

Die 10 Octobris.

Mixtura corticis ob continuam levem febriculam. 14 Oct. ſanus diſceſſit; manere tamen debuiſſet, ut recidivæ metus præſcindatur.

HI-

HISTORIA MORBI XCI.

Die 13. *Sept.*

Phthifici anatome.

Vir 40 annorum 23 annorum ſpatio militiam ſequebatur. Juvenis 20 circiter annorum morbo acuto decubuit, ex quo multis venæ ſectionibus ſanatus. Omni anno, cum frequentes hæmorrhagias pateretur, quater per annum venam ſibi ſecari curavit. Ante ſex annos verme tænia laborabat; a purgante draſtico, quod ternis vicibus interpoſito aliquot dierum intervallo, aſſumpſerat, qualibet vice aliquot ulnorum fruſta vermis ejicebantur. Ab eo tempore nulla prorſus a verme incommoda.

Olim miles ſæpe æſtuante corpore frigidam hauſit; frequentes inde pleuritides, plerumque neglectæ, ſubinde ſanguinis miſſione curatæ. Per octo annos phthiſi laborat. Ultimis duobus menſibus excretio ſputorum difficilis, diarrhœa, emaciatio, pedum intumeſcentia. 13. Septembris noſocomium adiit.

Die 18. *Octobr.*

Ab aliquot diebus utitur decocto rad. ſalep., oppreſſio nocturna vix aliqua. Diarrhœa ceſſat, at ſubinde ſudores nocturni adſunt.

Die 8. Novemb.

Die octava Novembris mortuus. Musculi evanidi in brachiis præcipue. Pulmo dexter inflammatus ex toto, nisi particulam ejus infimam excipias. Major inflammatio in suprema ejusdem parte, ubi vomica ovum anserinum capiens, tenui pure repleta. Parietibus pseudomembrana adhæsit ex purulento sedimento; circumcirca inflammatio 3 — 4 lineas crassus paries effecit, ne in cavum thoracis effundatur. Sinister pulmo paulo minus inflammatus; abscessum continuit nucem moschatam capiens: talis exiguus abscessus simul erat in dextro etiam pulmone, ibi autem in utroque pus bonum. Granula alba, innumera.

HISTORIA MORBI XCII.

Die 1. Octob.

Pleuritis inflammatorio - biliosa.

Fœmina 65 annorum a 14 circiter diebus catarrho vexatur; obambulat. 28. Septembris tempore vespertino febre corripitur continua, cum largo sudore, & siti valida. Altera die accessit oppressio thoracis, spirandi difficultas, tussis, atque dolor in antica parte pectoris. Appetitus deletus, cardialgia, oris amaror, & vagum per intervalla ar-

artuum rheuma. 30. Diarrhæa. Secta vena est. Pulvis temperans. Sequenti die e lecto ſurgit, exit; mox autem ob validam pectoris oppreſſionem domum redire coacta. Calet; ſitit; os amarum, ſiccum.

Die 1. *Octob.*

Cephalalgia, amaror oris; lingua ſicca, arida.

Reſpiratio difficilis, ſtrepens, ſibiloſa; valida thoracis oppreſſio, & dolor punctorius in anteriori parte. Levis cardialgia. Facies flaveſcens.

Sputa glutinoſa, cruenta. Diarrhæa; rheuma vagum artuum. Pulſus fortis, plenus, durus.

Solventia.

Die 2. *Octobr.*

Venæ ſectio unc. vj. Repetita ad unc. viij. Cruſta phlogiſtica. Nulla emendatio.

Die 3. *Octob.*

Fœtor & amaror oris; ſapor quaſi ab ovis putridis.

Emeticum.

Vomuit copioſam flavam bilem. Reſpiratio emendata. Sitis.

Mixtura corticis cum ſale ammoniaco.
Decoctum hordei cum oxymelle.
Linctus.

Spu-

Sputa incipiunt glutinoſa, ductilia, copioſa prodire; aliquis ſterni inter tuſſiendum ardor. Caput melius. Os emendatum; reſpiratio paulo melior. Pulſus non debilis, naturali celerior.

Die 4. *Octob.*

Lingua, qualis hucusque fuit, levis & ſicca, quaſi polita, rubra.

℞. Decoct. hord. unc. jv.
Aqu. fœnic. unc. ij.
Oxymell ſquill. unc. jß.
Stib. diaph. non ablut. dr. jß.
M.

Linctus, & duo veſicantia ad ſuras.

Veſperi omnia ſymptomata aliquantum emendata. Sputa glutinoſa valde.

Die 5—8. *Octobr.*

Tuſſis & reſpiratio aliquantum emendata. Pulſus non debilis, modice celer. Sputa glutinoſa.

Omni bihorio gr. j. kermes cum lapidibus cancrorum, & ſachar. Item duo veſicantia ad crura.

Veſperi major emendatio reſpirationis. Sputa minus glutinoſa. Lingua antea levis, & arida, nunc humectari incipit.

Die

Die 8 — 10. *Octob.*

Hucusque kermes ſumpſit; at hodie, etſi tuſſis eſſet rara, ſputa pauca, faciliaque, & reſpiratio emendaretur, pulſus naturalis eſſet, nullaque adeſſet febris; tamen cum pulſus eſſet languidior, timereturque nimia paulo poſt debilitas, datum eſt infuſum contrajervæ & ſerpentariæ, cum ſcrupulo uno camphoræ.

Die 10 — 14. *Octob.*

Cum vires eſſent bonæ, pulſus fortis, tuſſis rara, ſputa pauca, facilia, pectus bonum, dedi mixturam ſtibiatam.

Die 14 — 18. *Octob.*

Ad reconvaleſcentes poſita utitur mixtura ſtomachica, & bene habet per omnia. 18. Octobris ſana diſceſſit.

HISTORIA MORBI XCIII.

Die 13. *Octocr.*

Pleuritis.

Sartor 28 annorum ab octo ferme annis de vocis raucedine conqueritur. Ante triennium ſcabie infectus ſex menſium ſpatio ægrotabat, unguento ad ſcabiem tandem ſanatus eſt. A ſex abhinc ſeptimanis dolore lateris ſiniſtri punctorio vexatur, tuſſi, inſpiratione, attactu externo, & decubitu

in

in latus affectum aucto; cæterum nulla manifesta febris.

13. Octobris hora nona matutina toto corpore inhorruit. Dolor lateris punctorius validissimus ad primam costam spuriam. Rheuma vagum caput, & sinistri lateris brachium oberrans. Tussis valida, sicca. Appetitus prostratus.

14. & 16. omnia symptomata perstant. A fomento lactis levamen nullum. 16. secta vena est; sanguis phlogisticus; exiguum levamen. 17. eadem symptomatum vehementia.

Die 18. Octob. (6. m. d.)

Ad nosocomium defertur. Ob doloris vehementiam, pectoris oppressionem, pulsum celerem atque durum venæ sectio; eaque sera vespera repetita. Doloris inde remissio; pectus tamen adhuc valde oppressum. Vesicans lateri dolenti applicatum. Mixtura solvens cum nitro.

Die 19. Octob.

Ob pulsum valde durum, & celerem secta vena; crusta; levamen.

Die 20. Octobr.

Respiratio bona; dolor lateris nullus; pulsus tamen valde adhuc celer, non durus.

Tussis

Tuſſis, uti hucusque, multa ſcilicet, dolorque epigaſtrii inter tuſſiendum.

Decoctum altheæ, ſemin. melon, cucumer - cum mixtura ſolvente: tepide.

Die 21. Octobr.

Pulſus celer valde, duriusculus. Pectus & reſpiratio bona; at tuſſis ſæpe adhuc vexat, ita, ut futuram tuſſim in hypogaſtrio dolente ſentiat; rheumaticum quidem ratus adpoſui veſicans ad locum dolentem, ſed absque levamine.

Die 24. Octobr.

Oleoſa, mucilaginoſa non profuere.

Die 25. Octobr.

Dolor fixus in hypogaſtrio; pulſus celer. Subinde borborygmi, flatusque vexant. Abdomen non tenſum.

Quid, ſi materies dyſenterica ibi hæret, emetico - cathartico ſolo excutienda?

Die 26. Octobr.

Emulſum purgans omnem dolorem ſuſtulit.

HI-

HISTORIA MORBI XCIV.

Die 17. Octobr.

F. Quartana in peripneumoniam abiens.

Vir 36 annorum ſæpius per vitam intermittentibus febribus vexatus, æſtate hac lapſa tertiana laboravit, unde ſanatus, hucusque commode ſe habuit. Ante quatuor tandem ſeptimanas quartana febre iterum corripitur. Die 15ma Octobr. paroxysmus febrilis emanſit; at continua inde pectoris oppreſſio, tuſſis frequens, cephalalgia aſſidua, lecto decumbere coactus.

17ma acceſſit noſocomium, omnia pejora, 18 noctu ſuffocationis periculum, 19 mane venæ ſectio. Levamen. Cruſta phlogiſtica. Pulſus plenus fortis, & naturalis ferme celeritas.

Antiphlogiſtica.

Die 20. Octobr.

Cum decoctum ſuum frigide aſſumpſiſſet, denuo tuſſitare, pectore oppreſſo eſſe, & pulſus celeriores clurioresque habere cœpit. Hinc omnia tepide data ſunt, & vena ſecta eſt.

21. bene ſe habet. Rediit quartana, denuo cortice & ſale ammoniaco profligata. Sanus 31. Octobris.

HI-

HISTORIA MORBI XCV.

Die 15. Octobr.

Pleuritis rheumatica cum vitio biliofo.

Juvenis 19 annorum ante 18 menſes acuto morbo decubuit. Sanatus ad hoc usque tempus bene ſe habuit. Ante quatuor menſes quartana corripitur. Præſcriptis a medico remediis, febris emanſit, ſuperſtite tamen levi dolore in hypochondrio ſiniſtro. A quatuordecim circiter diebus minus appetit, ſapor oris depravatus.

Die 10ma hujus menſes quarta a prandio hora, frigus, calor, cephalalgia, nox inquieta, 11ma horror, calor, dædolatio, dolor lateris dextri punctorius, tuſſi, inſpiratione auctus. Die 12ma. Frigus non rediit amplius; reliqua omnia pejora. 13ma diarrhæa. 14ma eadem. 15ma in noſocomium ſuſceptus.

Dolor lateris punctorius inſpirando, tuſſiendo auctus. Pectoris oppreſſio. Lingua alba. Pulſus celer, plenus, fortis. Lienis durities. Sputa mucoſa.

Venæ ſectio
Mixtura nitroſa.
Decoctum hordei cum oxymelle.

Die 16. *Octobr.*

Repetita heri venæ ſectio. Cruſta ſanguinis admodum craſſa.

Veſicans lateri dolenti applicatum; inde omnium ſymptomatum levamen. Pulſuum naturalis celeritas. 18 ſanus per omnia.

Nota. 1) Quorſum ille ſanguis phlogiſticus devenit?

2) Quo plus cruſtæ phlogiſticæ apparet, eo minus pertinaciæ in morbo obſervatur. *Inflammationis rheumaticæ* fere pathognomicon eſt, cruſtam habere denſam, ita, ut mediam perſæpe partem, quin & plus ſanguinis totius emiſſi ſola cruſta efficiat.

3) Inflammatoria hæc cruſta primis horis a venæ ſectione non contrahitur, & contracta ſerius, fimbriis & margine circum circa elevato utplurimum caret.

4) *Vera pleuritis* cruſtam ſanguinis minus denſam, ſed primis a venæ ſectione horis contrahi ſolitam, cum margine ſerrato & aſſurgente habet.

Hæc diſcrimina multiplex & quotidiana obſervatio docuit.

HI-

HISTORIA MORBI XCVI.

Die 17. Octobr.

Febris biliosa vomitibus crebris spontaneis curata.

Fœmina cœlebs 35 annorum, ante 16mum ætatis suæ annum, quo catamenia comparuere, variis spasmorum insultibus vexabatur, 17mo ætatis anno ictero per tres menses, ante 5 annos intermittente tertiana per quatuor septimanas laboravit. Ab ultimis quinque annis frequens cephalalgia, præcipue menstruis instantibus.

Die 9. Octobr. febre continua corripitur, cum dædolatione ingenti, cephalalgia, amarore oris, sensu pressionis ad nucham & artus. Die 13. Octobris, alvo per triduum obstructa sal amarum, cum sale absynthii sumpsit; inde copiosam bilem flavescentem evomuit, atque decies purgabatur. Magnum levamen. At noctu sequente omnium symptomatum exacerbatio; capitis præcipue dolor, pulsatio, cophosis, calor ingens, jactitatio; eademque mala 14ma. perstabant, 15ma a sale amaro iterum vomitus, & alvi dejectiones. A meridie in manibus & pedibus petechiæ. Die 17ma in nosocomium suscepta.

Cephalalgia, aurium tinnitus, lingua flavescens, pulſus celer, petechiæ in facie, brachiis, maxime autem in pectore. Pulſus celer; alvus diarrhæica.

Die 18. *Octobr.*

Data eſt ipecacuanha: vomuit pauca, aquoſa, mucoſa; purgabatur aliquoties. Veſperi minor calor; nox inquita minor tamen, quam præcedens.

Die 20. *Octobr.*

Caput magis confuſum, dolensque, quam heri. Pulſus celer, ſat fortis, Scrobiculus & ventriculus dolet inſigniter ad attactum. Heri & hodie petechiæ, quæ poſt vomitum diſparuere.

Die 21. *Octobr.*

Pulſus ut antea, caput minus confuſum; color ut antea.

Die 25. *Octobr.*

Caput modice emendatum. Os bonum, niſi quod ſumme ſenſilis lingua modo ſit, & ardorem ſentiat inter ſummenda medicamenta. Pulſus naturalior, minorque calor. 28. Bene per omnia ſe habet. Caput modice confuſum. 7ma Nov. diſceſſit ſana.

SEC-

SECTIO IV.

FEBRIS RHEUMATICA.

FEBRIS RHEUMATICA.

Febris continua, cum dolore acuto, ſæpe diffuſo, partium potiſſimum ligamentoſarum, tendinoſarum.

Eſt inadæquata definitio, cum a *vera inflammatoria febre* non ſufficienter diſtinguatur.

Pars dolens plerumque tumet valde, maxime genua, carpi, tumore *ſæpius albido*, ſubinde *leviter rubente*, ad *attactum calente.* Dolor ſæpe acutus ſine *tumore*, attamen non ſine *calore* partis affectæ, admota manu perceptibili. Dolor eſt acutiſſimus.

Sedes hujus mali potiſſimum in vaſis *ſeroſis* & *lymphaticis* eſt, telam celluloſam cutem inter & muſculos ſitam perreptantibus; eſt item in membranis muſculos, tendinesque inveſtientibus, in membranis vaſa ſanguifera conſtituentibus, in aponeuroſibus, ligamentis, in membranis glandulas, nervosque ipſos & oſſa ambientibus.

Scapulas, carpos, genua, nucham, lumbos, femora sæpissime prehendit; nulla, neque interna, neque externa pars est ab eo libera, sic oculos, nares, gingivas, auris meatus &c. dolentissime sæpe afficit. Tetanus maxillæ. Convulsiones teneriorum; inde chorea S. Viti. Vidimus hac hyeme juvenculam moribundam ad nos allatam Nro. 54., cui dolor antea alicujus artus retrocessit ad caput: periit paulo post. Sic oriuntur apoplexiæ, deliria, convulsiones; omnia oculorum mala.

Ea retrocessio frequens est, & sæpius omnium primo partem internam afficit. Hinc *anginæ rheumaticæ*, pleuritides rheumaticæ, maxime veri primo dolentissimæ.

Hæ sunt illæ *pleuritides*, ubi vesicantium adplicatio tantopere commendatur; quæ vero confundi non debent cum vera pleuritide & peripneumonia.

Idem de *angina rheumatica*, ubi vesicans ad totum collum, seu guttur adplicatum eximie prodest. *Enteritides* rheumaticæ, *cystitides*, ubi post venæ sectiones emollientia, vesicans indicatur. NB. Nullum viscus est, quod non subinde rheumatismo vexetur. Diarrhææ, dysenteriæ chronicæ, dysuriæ, ischuriæ, tenesmi.

Plu-

Plurima mala pro ratione partis affectæ a rheumatismo oriuntur: cognoſcitur id 1) ſi præceſſerit dolor rheumaticus; 2) ſi adhuc *una* adſit; 3) ſi epidemia ſit *rheumatica.*

Dolor eſt varius, lancinans, ſcindens, lacerans, urens, pungens, preſſivus, tractivus, pulſatorius; gravis, levis, continuus, remittens, vagus, fixus, veſperi ſcilicet, noctuque auctus, aucta ſcilicet tunc febre. Dolor eſt unius, pluriumque etiam partium. Subinde *plerosque* articulos ſimul occupat, ubi *immobiles* inter *aſſiduos cruciatus* jacent ægri.

Sæpe febris rheumatica eſt *epidemica*, qualem verno tempore aliquoties obſervabamus, poſtquam ſudanti corpori aura frigidior eſt admiſſa.

Quovis tamen fere anno major, minorve epidemia obſervatur, *febris rheumatica inteſtinalis*, ſeu *dyſenterica*, quæ ſub finem Julii ingreditur, per Auguſtum menſem ſævit, dein mitior evadit, & circa finem Septembris raro amplius comparet. Maxime eo tempore obſervatur, ubi meridiano ſole corpora in ſudores ſolvuntur, & aura frigida veſpertina reprimuntur. Oritur tempore *febris rheumaticæ*, *rheumate ad inteſtina*

depoſita, ad eam nempe partem, quæ per illam tempeſtatem eſt debilior. In omnibus enim morbis materies morboſa ibi figitur, ubi pars quædam antea aut ægrotaverit, aut debilior fuerit.

Jam diu eſt, ex quo dyſentericos non ſpecto tanquam *morbos ſemper & mere ſaburrales, tanquam ſolis evacuantibus ſanandos.* Sed quotiescunque dyſenteriam curandam habeo, toties mihi hominem propono tanquam *rheumate*, & quidem inteſtinorum, laborantem.

Ea ipſa eſt *diverſa* methodus medendi in dyſenteriis, quæ in rheumaticis, item eo ipſo tempore vera & indubitata rheumata una graſſantur fere ſemper, quo dyſenterias videmus epidemicas: una utrumque morbum, eademque medendi ratio ſanat.

Ex hac obſervatione, quod morbi ibi potiſſimum ſedem peculiariter figunt, ubi pars antea aut ægrotavit, aut debilior fuerit, explicari præcipue poteſt, quare *temporibus rheumaticis*, quibusdam *olim contuſa*, vulnerataque de novo doleant, & de atmoſphæræ mutatione præmoneantur certo quodam partis olim male affectæ, e. g. contuſæ &c. dolore, &, ut ajunt, perpetuum hi homines barometrum habeant. Sic & ad gingivas

lu-

luridas, & viciniam dentis cariosi facilis est decubitus materiæ rheumaticæ; item ad olim luxata, vulnerata, contusa &c.

Causa proxima est inflammatio in *systemate lymphatico*, maxime partium tendinosarum, aponeuroticarum, membranarum, musculorum, articulationes &c. ambientium.

Differt autem hæc a vera inflammatione dolore *magis diffuso*, parte affecta plerumque magis tumente, acrius dolente, minus tamen rubente. Rariori & leviori transitu in veram suppurationem. Sanguine magis crustoso, crusta diffusa, minus dura, raro contracta, subflava. Dolore magis volatili, tumoreque sæpe ambulatorio.

Inflammationem rheumaticam vellem appellare. Ea & *diutius* durat, quam *vera*. Pernicies rarior, &, minus præceps a *rheumatica*, quam a *vera inflammatione*. *Chronicæ* a quibusdam notatæ inflammationes sunt ut plurimum *rheumaticæ indolis*. Neque eæ sequelæ sunt a *vera* inflammatione, prout a *rheumatica* & *spuria*. Subinde & fluctuatio percipitur in *inflammatione rheumatica*, at pus nullum reperitur, abscessu licet aperto. *Plerumque sponte* solvuntur *benigne* & sine *suppuratione*, aut apertæ per artem *mucum* loco puris dant.

Non

Non nunquam cito tumor, ejusque fluctuatio cessat, & ad aliam partem migrat. Non nunquam manet cessante dolore tumor, sed oëdematosus.

Causæ remotæ. Plethora cum quadam acrimonia conjuncta; alimenta acria, valde aromatica; abusus spirituosorum; victus fere totus animalis. Atmosphæra mutabilis, sæpius humida, frigidaque; tempus vernum & autumnale; irritabilitas nimia studiis, vigiliis, venere, vino &c. exaltata. Perfrigeratione sudante corpore; sudores consueti cohibiti. Acrimoniæ variæ, siphilitica, scorbutica, biliosa, scabiosa. Evacuationes sanguineæ consuetæ suppressæ, catameniorum, hæmorrhoidum, narium &c.

Est hæc spuria inflammatio, quæ *febrim rheumaticam simplicem*, aut & *febrem catarrhalem* constituit.

Cum hac *inflammatione spuria*, seu *rheumatica* varia febris solet esse plerumque complicata. Sic *complicata* est

Nonnunquam *vera inflammatio*, ut tunc oriatur *febris rheumatica inflammatoria*, quam *primam* speciem posui *febris rheumaticæ.*

Hinc dividitur I. ratione febris concomitantis diversimode. Sic datur *rheuma-*

tis-

tismus inflammatorius in juvenibus bene paſtis, pletnoricis, tempore phlogiſtico, pulſu pleno, forti, duro, ſanguine phlogiſtico, pleuritico; tumore affectæ partis dolentiſſimo, ſubrubro, rubro; calore, ſitique continuis; urina parca; ſudoribus copioſis.

Epidemica eſt tempore verno, inflammationibus regnantibus.

Judicatur hæc febris 7, 14, 2c$^{mo.}$ die, quin etiam ſerius, evacuantibus ſanguineis ſpontaneis per nares, hæmorrhoides, uterum, urinis copioſis cum hypoſtaſi ſubalbida; alvo diarrhæica. Subinde efflorescentiis cutaneis, miliaribus,

II. In *rheumatismum bilioſum*, ſeu *febrim bilioſam rheumaticam*. Adulta æſtate, & incipiente autumno, ubi corpora multo ſudore diffluunt, & atmoſphæra ſubito mutata perfrigerantur, obſervatur *febris rheumatica*, ſeu *originis bilioſæ.* Adſunt enim utriusque febris ſymptomata, atque ita quidem, ut *inflammationem rheumaticam* alat, & ſuſtentet bilioſum fomes, quo ablato febris rheumatica ſuapte ſanatur.

Habuimus hanc febrim eo ipſo autumno 1776 creberrimum, ubi in aliis ſimplex bilioſa febris obſervabatur.

Sub-

Subinde initio ſimplex eſt bilioſa, ſed omiſſis evacuationibus debitis, *neglecta*, *cortice*, *ſudoriferis*, *oleoſis*, *mucilaginoſis*, *adſtringentibus* ſanata. Item ſubinde dyſenteria eſt *mere bilioſa*; at quam vel æger vel medicaſter adſtringentibus, aut *opiatis* comprimit, materiemque ab inteſtinis ad articulos transfert.

III. Subinde *febris rheumatica* oritur cum tuſſicula veluti catarrhoſa in debili, laxo, puellari, chlorotico corpore, & in ſeniculo, paſtaceo &c. poſt evacuationes *ſanguineas* nimias, in puerperio, tempore humido frigidoque. *Rheuma vagum* eſt plerumque *ſine tumore*, febricula tenuis, at tractu temporis eam imaginem morbus exhibet, quam deſcripſimus ſub nomine *febris pituitoſæ*, *lentæque nervoſæ*. Venit hæc aut ſub nomine lentæ *nervoſæ*, aut ſub nomine *catharrhalis* malignæ, aut *miliaris*, prout hoc vel illud ſymptoma prævaluerit.

IV. Nonnunquam cum *febre rheumatica* mox initio putrida ſubnaſcitur, quæ medicos incautos decipit, ut rem ſe habere exiſtiment cum ſola rheumatica febre arbitrentur.

V. *Febris rheumatica variolosa* plerumque malas & pernicioſes variolas notat.

VI.

VI. *Febris rheumatica ſcorbutica* cognoſcitur ex ſignis ſcorbuti, gingivis ſanguine facile fundentibus, dedolatione inſigni, halitu fœtente, maculis lividis &c. Dolor eſt plerumque ſine tumore.

VII. Datur etiam *intermittens rheumatica:* ſeu febris *intermittens larvata ſub ſchemate rheumatico.*

VIII. *Rheumatismus cancroſus*; vidi hunc in fœmina uterum cancroſum habente: item in viro, qui cancroſo ulcere inteſtini recti apud nos decubuit, periitque No. 14. Novi puellam, quæ a nutrice olim infecta fuerat lue, dein peſſimas veriolas pertulit, demum per annos complures intolerabili dolore præcordiorum laborat, ſubinde & artuum. Nunc glandulæ ſubaxillares tumere incipiunt, & tubercula naſci in mammis.

IX. *Rheumatismus venereus*, febrilis eſt non raro, veſpertinus, nocturnus, dolore vario, ſæpius oſteocopo.

At cave, ne *ſyphiliticum* putes, quod mere *rheumaticum* eſt, aut *mere arthriticum.* Frequens error practicorum, præcipue ſi aliqua cauſſa præceſſerit ſiphilitica.

Alia eſt rheumatismi diviſio a *parte affecta.*

Scil.

Scil. 1) *apoplexia rheumatica*, unde plerumque curantur, manente nihilominus longo tempore musculorum faciei paralysi, balneo electrico sananda.

2) *Convulsio a rheumate* in infantibus, tenerioribus, fœmellis; frequens morbus.

3) *Ophthalmiæ rheumaticæ* sæpe sunt epidemicæ. Huc illæ recensendæ sunt, quæ *post* variolas sæpe comparent, etiam *bonas* & *inoculatas*, & longo post tempore. Prosunt emolliendo-discutientia.

4) *Tetanus maxillæ* in tempora rheumatica incidit, alternat cum rheumatismo artuum. Alius est periculosior a vulnere, maxime tendinosarum partium, nervosarumque. Item

5) pleræque *odontalgiæ* sunt rheumaticæ, pone dentem cariosum.

6) *Angina parasynanche*, angina scarlatinosorum est fere *rheumatico-inflammatoria*.

7) *Angina pectoris* rheumatica.

8) *Pleuritis rheumatica*: huc etiam

9) *Enteritis*, cystitis, dysenteria &c. pertinent.

Communissimus morbus est 10. & 11 species rheumatismi, quæ sub nomine lum bagi-

baginis & ischiadis venit. De utroque hoc morbo fusius puto agendum esse.

Lumbago, sedem, ut vi nominis constat, in lumbis habet, inque partibus tendinosis & musculorum lumbarium membranis.

Nonnunquam sedes est in ipso musculo psoa, qui aut *vera*, aut *rheumatica*, spuriaque inflammatione tentatus, vividos dolores excitat, prohibetque & corporis antrorsum inclinati, & femorum elevationem. Subinde morbus *vicinas* quoque partes prehendit simul, ut *tenesmus* adsit, & *frequens* & *dolorificus mictus*.

Confunditur hinc 1) cum hæmorrhoidibus internis; 2) cum calculo renum, uretherum, vesicæ, & quidem sæpius cum calculo *moto* renum & uretherum; etsi & stupor cruris ex illo latere desit, & vomitus sympaticus, qui alias a commoto calculo observari solet, aliaque calculi symptomata.

Inflammatio musculi psoas subinde tanta & tam acuta est, ut *gravis* adsit febris, & *cito* suppuratio fiat, inde *phthisis* & mors. In cadaverum sectionibus pus copiosum collectum deprehendebatur.

Iſchias, *malum iſchiaticum*, *dolor coxindicis*, ſupremum femur, ejusque poſticam ſæpius partem occupat. Nonnunquam quoque per femur internum deſcendit.

Subinde ad caput fibulæ terminatur; ſubinde ad malleolum usque pertingit.

Symptomata ſunt: impeditus motus, aut difficilis; dolent ſtando, aſſurgendo, ſedendoque, & ſeſe convertendo.

Sæpius eſt in alterutro ſolum latere chronicum malum valde, potiſſimum in ſeniculis, autumno humido, hyeme auſtrali, habitatione depreſſa.

Subinde *contuſio* coxæ illata, præbet anſam morbo: ibi enim malum figitur, ubi pars antea doluerit. In infantibus in terram delapſis contuſio, contuſi inflammatio, ſuppuratio, pededentim facta luxatio, immobilitas, claudicatio non emendanda. Subinde in *morbis acutis* fit *depoſitio* ad coxendicem, uti in aliis ad parotidem. Vidimus in puella N. XII. & in ægro N. I.

Iſchiadis *diviſio* eſt ea ipſa, quæ *rheumatiſmi*, quam ſupra dedimus. En non unam dari, eandemque methodum iſchiadem ſanandi. Hinc eſt aut mere *rheumatica affectio*, aut *inflammatoria*, *bilioſa* &c.

Iſchi-

Ischias *inflammatoria*, ubi partes circa acetabulum genuine inflammantur, in *latentes demum suppurationes*, tandem tractu temporis in febrim lentam abit. Subinde materies *biliosa*, *putrida*, *variolosa*, *scabiosa*, *venerea*, &c. illuc deponitur. Inde inflammationes, suppurationes, febres hecticæ, anchyloses, & claudicatio, spontanea a caussis internis erodentibus, relaxantibus nata luxatio.

Ischias nervosa tum antica, quam postica *Cottunii*, mihi est mere *rheumatica*, vel & arthritica. Tollitur vesicante ad caput fibulæ posito.

Videamus effectus rheumatismorum quorumcunque, & quæ inde *mala* observentur. Membrum diuturno rheumata vexatum sæpe *marcescit*, friget, *debilius* est, *minus exquisite sentit*, *minus expeditum*, aut *mobile* est. *Herpete*, aut *quadam veluti scabiei specie* maculantur.

Articuli tumidiores, minus mobiles. Genu per omnem vitam *tumidius*. *Tendines decurtati*, vix aut nunquam sufficienter emolliendi. Digitorum articuli idem patiuntur. *Collum distortum* capite antrorsum inclinato nuper in juvene sartore vidimus. Incurvatio, claudicatio perpetua,

Nonnunquam *materies rheumatica dolorem* non facit, ſed *paralyſin* artus alicujus, muſculorum, faciei, oculorum.

Vidi *tumores* in abdomine natos, & per annos hucusque perſtantes, attactu velut carneos, indolentes a materie rheumatica; ſarcomata ſcilicet, ubi graviditas ſubeſſe putabatur. Habui talem olim puellam in noſocomio. *Strumæ* & tumores colli non glanduloſi, ſed velut *ſarcomatoſi* ſæpe ſunt a materie rheumatica. Præternaturales tumores, tonſillarumque ſæpe a materie ſunt rheumatica, quæ ſpeciem quandam ſarcomatis facit. Tales tumores non amplius dolentes reſolvi nunquam poſſunt.

Omnes hæc ſpecies rheumatiſmi *febriles*, ſunt & ſubinde *ſine febre;* attamen in cura revocari debent ad notionem *rheumatiſmorum febrilium.* Sæpe enim nulla quidem febris adeſt, eſt tamen *diſpoſitio* ad febrim, eamque oportet determinare.

Cura. Febris rheumatica *ſimplex* potu multo, leviter diaphoretico, maxime ſambucino, roob ſambuci (non aduſto) optime & cito ſanatur.

Huc *coryzæ*, *catarrhi* ſimplices, *raucedines*, *diarrhææ* a perfrigeratione, *incipientes dyſenteriæ* &c. revocari debent.

At

At si inflammatio simul sit juncta, sique sit *rheumatico - inflammatoria*, superius descripta, tunc venæ sectiones *copiosæ* & *frequentes*. Emollientia nitrosa, tepida. Fotus, cataplasmata *emollientia*, non autem *sicca*, neque *sacculi camphorati*, neque *plumbata*.

Item prosunt balnea *tepida mane* adhibenda.

Scarrificationes, aut *sanguisugæ* in vicinia partis affectæ, præcipue in rheumate ad partem nobilem recurrente. Hirudo medicinalis capite acuminato est, & utrinque ad dorsum quatuor lineas habet. Venæ sectiones hæ *topicæ* maxime prosunt, si *tumor* adsit præter dolores.

Sunt, qui magnas doses nitri propinent, scilicet unciam unam, aut drachmas decem intra viginti quatuor horas cum *multo* potu; verum, ita sumptum nitrum, leviter purgat, estque *purgans antiphlogisticum*. Præplacent minores doses, maxime autem cum roob sambuci.

At sanguine jam multum extracto, febre ultra octavum diem durante, pulsu collabente, debiliore, prodest *camphora in emulso*.

Ad ipſam partem rheumatice inflammatam prodeſt cataplasma ex ſpeciebus *emollientibus*: ex ſem. lini, ex malva, althæa, farina ſem. lini & herba hyoſcyami paratum. Ex *lacte ſaponato.* Balneo, e. g. manuum *tepido.* Vapores aquæ.

Cave ab *opio*, maxime veſperi propinando. Stante inflammatorio ſtadio non convenit ob aliena & anomala nervorum mala; at fracta ſubinde, & caute quidem, dari poteſt.

Item *ſcopo diaphoretico*, cum pauxillo rad. ipecacuanhæ, aut cum ſulphure aurato, aut cum kermes minerali.

In *rheumatismo* bilioſo emetica, purgantia &c. indicantur.

Virtus multiplex emeticorum: 1) *ſurſum* & *deorſum* evacuans; 2) ſialagoga; 3) reſolvens obſtructa; 4) diaphoretica; 5) antiſpasmodica.

In *rheumatismo putrido* antiſeptica, maxime cortex cum moſcho, camphora. In *intermittente rheumatica* cortex.

Si *depoſitio* materiæ rheumaticæ contingat ad partem nobiliorem, tunc febre præſente & plethora venæ ſectio, & *derivantia* ad partem antea affectam, ſcilicet balnea, ſinapismi, veſicantia. Vel vero in

caſu

caſu contrario camphora, moſchus, caſtoreum, veſicantia &c.

Reſiduos *a febre* dolores ſanat *aconitum, extractum arnicæ, guajacum.* Sarſaparilla cum cortice peruviano, frictiones frigidæ, lotiones, thermæ, conſervæ antiſcorbuticæ.

In rheumatismo chronico non febrili ſequentia remedia ſunt præ ceteris commendata, ita tamen, ut habenda ratio ſit ætatis, ſexus, temperamenti, annuæ conſtitutionis.

Venæ ſectiones & ſanguiſugæ, & ſcarificationes, quo propius morbus accedit ad *ſtatum febrilem*, & locus rheumate tentatus, quo *magis præternaturaliter calet ad attactum.* Dein vero decocta ſolventia, reſolventia, depurantia, aperientia ex gramine, taraxaco, cichoreo, bardana, lapatho acuto, radice ſarſaparilla, herba ſaponaria; ſtipites dulcamaræ, raſura ligni guajaci, ſaſſafras, chamedrys, chamæpytis. Serum lactis cremore tartari paratum, ſinapinatum. Succi recentes taraxaci, cichorei, endiviæ, lactucæ, chærophylli, acetoſæ &c. Naſturcii aquatici & hortenſis &c. Conſervæ antiſcorbuticæ ſcil. naſturtii aquoſi, trifolii fibrini, acetoſæ, cochleariæ omni 2da

hora parvum cochleare. *Extractum aconiti* cum nitro, cum antimoniali remedio, cum floribus ſulphuris; ejus extracti doſes. Antimonium ſuper porphyritem levigatum; ejus præparata; kermes minerale. Sulphur auratum 2 & 3 præcipitationis. Vinum antimoniale *Huxhami*. Extractum cicutæ cum gummi ammoniaco, cum ſapone, cum extracto helenii, trifolii &c. Sapones varii e. g. Starkeianus uterque. Liquor cornu cervi ſuccinatus. Salia alcalina volatilia, moſchus, caſtoreum magna doſi. Extractum gratiolæ, nicotianæ, florum arnicæ. Mercurialia. Pelles leporini (Wachstaffet, vorzüglich grüner. Flanel.) Balnea tepida, vapores, fomenta, cataplasmata. Frictio (Bürſten), urticatio, veſicans in rheumate *frigido* & *calido* poſt venæ ſectionem, item in fixo. Sinapismi, phœnigmi, cortex mezerei, electrica flamma. Thermæ. Balneum fimi, vinaceorum, formicarum. Linimentum volatile, quod ex oleo lini olivarum & ſpiritu ſalis ammoniaci conficitur, vel vero quod ex oleo eſſent. e. g. ex ſpiritu therebinthinæ & ſpiritu ſalis ammoniaci conficitur. Inunctio cum tinctura cantharidum. Roob ſambuci. Gummi guajacum, cujus propinandi ſunt varii modi.

Da-

Datur 1) cum ſaccharo & cremore tartari; 2) cum antimonio in rotulas redactum; 3) in taffia, ſed cum emulſione, in ſyrupo, in cremore hordei; item ſcopo ſudorifero in *potu theato*: ſed præcipitatur in aqua; 4) cum vitello ovi in forma eclegmatis; 5) in tabulas redactas, quæ tabulæ in aqua, vino dulci &c. ſolvi facile poſſunt; 6) in ſuccolata.

His addi *extractum ligni guajaci gummoſum* poteſt, præcipue fragrantiſſimum, inſtar vanigliæ.

His variis formis aliquid ſolutionis mercurii ſublimati corroſivi addi poteſt, & antiſyphiliticum parari. Tantus metus non eſt ſublimati mercurii, ut quidam nobis incutere voluerunt.

Uſus guajaci fit 1) abſente febre; 2) in corpore paſtaceo, frigidoque, & fibra inerti.

Vis leviter purgans illi ineſt, ut ter, quaterve alvum moveat: tunc autem magis prodeſt; ſi nimium purget, parcius dari debet. Si non purget, ei aliquid jungi debet.

Adulteratur pice alba, quæ in ſpirituoſa ſolutione difficilius ſolvitur, & collecta in fundo agnoſcitur. Item *colophonio*, quod combuſtum odore agnoſcitur.

Sed etiam taffia adulteratur pipere hiſpanico; detegitur *defragrando* in cochleari, ubi in fine *aquan non inſipidam*, ſed pipere hiſpanico acrem deprehendis.

Optimum guajacum eſt, quod arte extrahitur ita, ut duas partes, aut etiam quatuor ſumas *reſinæ*, & unam gummi *aquoſi*.

SE-

SECTIO IV.

A R T H R I T I S.

ARTHRITIS.

Gravis morbus eſt, noſtris præcipua temporibus frequens, quem nunc tractandum aſſumimus, *arthritis* nempe, quæ & ſub nomine *podagræ*, *chiragræ*, *gonagræ &c.* nota eſt. Noſtrates eam vocant *defluxionem bilioſam*, Gallenfluß, an der Galle leiden.

Morbus, utut noſtra hæc ultima ſecula *magis* infeſtet, tamen antiquiſſimus certo eſt, ut ii ſolum immunes manſerint, qui ſimpliciſſimo victu, eoque fere excarni utebantur primitus, & uſum ſpirituoſorum ignorarunt.

Potius nihilominus *magnarum urbium* eſt incola, earumque præceteris, quæ licentioſiores habitatores numerant. *Vetus Roma* podagram ignoravit. At ſub Cæſarum tempora late populabatur. Magis amat *depreſſa & paludoſa* loca, itemque *mari viciniora*, terrasque *borealiores* magis, quam auſtrales. Frequens hinc in *Hollandia, Britania.*

Po-

Populos mercaturæ deditos, qui magnas inter ſpes, ſed & magnos inter metus, ſimulque laute opipareque vivunt, inviſit frequentius.

Ætatem nullam præterit penitus, cum & in puerili ætate non infrequens ſit *vera arthritis*. Sed tunc eſt *connata* ut plurimum. Attamen magis cadit in eam, quæ *florem ſuperavit*, *adultam*, *virilem*, *quæ proxime in ſenili* eſt abitura. Sed & juvenes videre eſt his ſenum morbis ante ætatem correptos.

Sexum utrumque plectit, ſæpius tamen virilem, cum cauſæ poſtmodum enumerandæ in virili ſexu *crebius* & *potentius* agere conſuerint.

Morbus eſt *temporum omnium*, attamen certa eſt obſervatio, eum etiam ſubinde epidemicum eſſe, certis videlicet annis & periodis frequentiorem ſolito.

Sic mea praxis, ut etiam aliorum quorundam, quibus plures quotidie ægros inviſere contingit, me docuit, ab initio menſis Septembris anni 1782 *epidemiam arthriticam* exortam eſſe pedetentim, viguiſſe per totum annum 1780, neque nunc, dum hoc ſcribo, menſe videlicet Julio 1784 ad finem vergente, penitus emortuam.

Con-

Conſortia amat varia, ita, ut eodem hoc tempore, quo *conſtitutio arthritica regnavit*, ſimul pari fere paſſu inceſſerint *febres bilioſo putridæ*, *pituitoſo putridæ*.

Deſcriptio regularis podagræ eſt præmittenda, ut ejusdem poſtea luſus melius & variationes intelligamus.

Januario exeunte, aut initio Februarii, qui podagricum paroxysmum paſſurus eſt, incipit de *cardialgia*, veluti *frigore ventriculi*, aut ac ſi *ventriculus aquæ innataret*, conqueri; viget interim appetitus, uti antea. Nonnunquam *ſigna cruditatis*, os mane ſubamarum, auſterum, glutinoſum per *plures ſeptimanas* queritur, uti & flatus.

Facies cerea, ſubflavescens, ſubicteri-cia, ſubvirescens. Subinde etiam gravis icterus.

Querelæ de doloris enormitate, impatientia multa, & puſillanimitas. Urinæ magis flavæ, profunde flavæ, bruneæ, ictericorum, lateritiæ. Nonnunquam mingendi difficultas & veluti veſicæ ſpasmus. Alvus moroſa. Mens ſolito irritabilior &c. Urinæ tamen ſubinde *naturales*, ſubinde *copioſæ limpidæque* ſimul, aut cryſtallinæ. Nonnunquam cum ſedimento albo, mucoſo.

Gra-

Gravitas corporis, somni minus reficientes, stante voraci sæpe appetitu, una procedunt.

Mens irritabilior, & hypochondriasis consueto major. Salacitas subinde.

Crurum femorumque dein veluti stupor, insensibilitas, spasmodicæque quoque affectiones, ac crampi.

Hi sunt morbi prodromi.

Pridie ante invasionem major plerumque hilaritas, agilitasque, at post mediam noctem repente evigilat, doloremque experitur, vel in pollice pedis, vel ad calcem, vel ad malleolos, illi similem, quem quis a subluxatione &c. experitur. Sunt etiam, qui aut calceum angustiorem, aut lapsum, aut simile quid accusent.

Hoc est alterum podagræ stadium, *idque febrile*, cujus typum describam.

Febris hæc circa vesperam exacerbatur, ita tamen, ut si ejus mensuram ex pulsu capias, ea videatur esse *parva*, & querelis ægris non respondens. Noctu somni turbati, & assidua situs mutatio, donec sub auroram levi madore perfusus æger incipiat obdormie.

Prout febris intenditur circa vesperam, noctuque, ita etiam dolor affectæ partis, qui

qui varius esse solet; nunc *terebans*, *lancinans*, *morsicans*, *dilacerans*, *compressivus*.

Mane evigilans te refectum modice sentit; dolore mitiore, minus febricitat; at partem affectam reperit *dilutissime rubentem splendentemque & immobilem præ dolore*.

Venæ pone partem affectam, notante & *Sydenhamo* & *Grantio*, tumescunt; velut ab applicato vinculo.

Atque ita exacto primo nychthemero febris hæc tempore matutino ad *remissionem* pervenit; judicatur 1mo sudore blando, & universali; item 2do depositione ad partem affectam.

Redeunt quotidie eodem ordine exacerbationes; ita tamen, ut post aliquos dies alter quoque pes nonnunquam occupetur.

Atque ita per octo, per 14 dies quoque febris hoc producitur; donec mitioribus tandem paroxysmis; tandem etiam nullis; & tumore *veluti erysipelatoso* evanescente redeat motus & prior paulo post sanitas. *At nunc sequuntur anomaliæ.*

Anomaliæ ratione febris: nonnunquam durat *per quatuor septimanas*, *per plures menses*, & solum calidioribus æstatis diebus valedicit, paulo post reditura. Subinde est assidua.

Tunc autem vires medicatrices languent *ob ſenium, morbos alios coincidentes, pravam methodum. quantitatem materiæ podagricæ.*

Subinde febris *nulla* adeſt, etſi dolor ſit atrox. Tunc autem morbum deprehendi ſemper curatu difficillimum, longiſſimumque.

Nonnunquam *obſcura* ſolum adeſt febris, pulſu nempe naturaliſſimo, ſed aucto nihilominus caloris & frigoris præternaturalis ſenſu.

Aut vaga intermittens, ubi videlicet nullo certo tempore febrilis acceſſio redit.

Aut *vaga remittens.*

Aut *continua*, levior tamen, & quæ *continuam bilioſam leviorem* æmulatur.

Quo febris *validior*, eo brevior totus morbus; morbus non febrilis, longiſſimus eſt.

Subinde *omni alterno die*, ſtabili lege frigus, caloremque queruntur, ubi tamen in pulſu vix aliquid mutatum reperitur, ut *veram intermittentem exiſtimes, ſed inchoantem, & adhucdum obſcurum.*

Anomaliæ ratione partis affectæ itemque varium morbi inde ſchema. Aliæ quoque anomaliæ ſunt, petitæ ex *diverſitate partis affectæ, itemqne ex diverſa diverſæ hujus partis læſione.* Sic ſubinde *caput* occu-

cupatur, eo modo, *ut dira veſpertina, nocturnaque cephalalgia, aut cephalea* adſit, *intolerabilis*, ferme ad *inſaniam redigens*, quæ valida *capitis conſtrictione*, leniter, itemque *mora extra lectum*, ut integras ita horas nocturnas extra lectum tranſigant. *Lucem* nec minimam perferunt, nec *vocem*, nec *greſſum* obambulantis. Plerumque habetur pro cephalea venerea: ex qua erronea diagnoſi plurima mala naſcuntur.

Subinde occiput ſolum, ſubinde vero frons, aut etiam alterutra capitis pars ita afficitur.

Multis ſolennis eſt *hæmicrania periodica*, ſubinde e. g. bis terve per annum recurrens, dolore vividiſſimo; quam *quiete* & *diaphoreſi* intra 24 aut 48 horas ſanant. Eam ſemper pro effectu materiæ arthriticæ, ſed volatilis & brevi eliminatæ habui.

Quibusdam *nullus* dolor eſt, ſed *vertigo*, quem originis arthriticæ eſſe ex eo collegi, quod æger dolores antea vere arthriticos paſſus, his evanescentibus, *vertiginoſus* ſit factus.

Eſt & *chronica lippitudo*, itemque *ophthalmia chronica*, *oculis prurientibus*, *dolentibus veluti ab inſperſo ſabulo*, aut ſiccis valde, aut plorantibus aſſiduo, vaſis

varicofis picta albuginea, margines palpebrarum rubri, idque a materie arthritica. Rubore fæpe evanido oculi tabes & anmarofis.

Vidi hac æftate binos arthriticos *repentina* unius oculi amaurofi correptos, ex metaftafi materiæ, fanatum tamen utrumque.

Novi qui toto anno *coryzam* patitur *arthriticam*.

Quibusdam *Eryfipelas* eft affiduum, rebelle, ichorofum, at faciei, aut partium etiam aliarum, vagumque. Pars hoc eryfipelate affecta non valde tumet. Subinde per menfes, quin etiam per annos hac ægritudine tenentur. A materia arthritica id effe, ex eo conftat, quod materia ad pedem delata, ortaque podagra rebelle hoc eryfipelas difpareat.

Latet frequentiffime arthritis fub fpecie afthmatis; nunc chronici atque affidui, nunc convulfivi per vices recurrentis, maxime vefperi.

Hi fub fomni tempora, mox incipiunt cum fumma anxietate refpirare, anhelare, exilire e lecto, ad feneftras apertas properare, aut fi id non poffint, incipiunt *ftrangulari*, *livescere*, *fpumam agere*, mentis effe impotes. Pulfu qui antea femper *durus*, *vi-*

vibrans fuerat, nunc tenuiſſimo, vix micante. Poſt complures horas ad ſe redeunt, altero die commode ſe habentes

Hic imponit arthritis ſub ſchemate aut aſthmatis *ſicci*, aut *pituitoſi*, aut *convulſivi*, *continui*, *veſpertini nocturnique*, aut *hydrothoracis*.

Subinde hi paroxysmi aut omni nocte, aut tertia quavis nocte recurrunt, ut aliquid intermittentis & vere periodici ſubeſſe exiſtimem. Habetur ex hoc recurſu regulari ſubinde pro *intermittente larvata*.

Hic ipſe reditus ſtato tempore obſervatus ejusdem ſymptomatis e. g. *cephalalgiæ*, *hemicraniæ*, *coryzæ*, *aſthmatis*, *dolorum artuum*, *odontalgiæ* &c. fecit, ut ſæpe habeatur pro *intermittente larvata*.

Clavus hyſtericus. Subinde eſt ea faucium conſtrictio, ut *globum hyſtericum* medici dicant.

Nonnunquam inter manducandum *difficillima deglutitio* ſit, bolo ita in faucibus aut æſophago hærente, ut eum nequeas, utut parvum, deglutire.

Spaſticam œſophagi conſtrictionem tunc appellant.

Struma arthritica. *Sarcomata*. Multis collum ſubinde veluti *inflatum*, *craſſum*, &

 præ-

præter modum carnosum evadit, sine dolore. Frequens affectio est, & effectus materiæ arthriticæ; plura simul adsunt arthritidis tunc symptomata. In reliquo quoque corpore glandulæ, maxime subcutaneæ a materia arthritica intumescunt.

Hæmoptoë arthritica Sunt, quibus sanguis sat copiose per sputam educitur, sine consuctis alias hœmoptoës caussis, & sine illa ad hœmoptoën prædispositione. *Cruor absolute ruber* rejicitur, & *sine febre*, idemque sæpe *per longum tempus*, nil inde mali vidi, neque natam phthisin. Est illud *non febrile sputum* cruentum, quod jam Hippocrates sine periculo esse affirmavit.

Plerumque hæ hucusque nominatæ affectiones aliis quoque manifestæ arthritidis symptomatibus stipantur. Subinde nil antea arthritici præcessit.

Phthisis pituitosa. Notus quidam a recentioribus descriptus morbus est, quem *phthisin pituitosam* appellant. Cum morbus sit sæpius in corporibus *arthriticis*, arthritis aut præcesserit, aut una adsit. Cum antarthritica prosint, vix dubium superest, quin non sit *vera arthritis* ad thoracem decumbens.

Spu-

Sputum flavum, pendulumque, flavo-virefcens rejicitur. Subinde pituita fpermati ranarum non abfimilis.

Læfa functio ventriculi. Non raro longo tempore, per menfes, quin fubinde per plures annos ægri de variis ventriculi incommodis queruntur, e. g. *flatuofam affectionem*, *bradypepfiam*, *cardialgiam*, *ventriculi frigus.* Stante licet appetitu, fubinde etiam voracitate. Latet tunc arthritis, quæ, nifi vires infringas emeticis, purgantibusque forte ferius ad artus deponitur.

Stomachicis amaris, tinctura guajaci, fed victus bona ratione, lenitur.

Infarctus hypochondriorum. Contingit, ut morbus diu circa *fyftema hepaticum* adhærefcat, & æger colore *fubictericio* fit, hypochondrio dextro, præcordiis totis *non duris*, attamen *denfis.* Color *cereus* faciei. Arthriticum idem effe, vel ex eo colligitur, quod præcefferit, aut fubfequatur *arthritis.*

Morbus hypochondriacus uterque. Morbus hypochondriacus cum materia, feu bilis atra veterum cum morbo arthritico ita convenit, ut *utramque* materiam *cognatam* exiftimem; forte *eadem* eft, fed folum diverfa ratione adplicata.

Morbus hypochondriacus ſine materia, hyſteria fœminarum mihi nunquam viſa eſt adeo *ſine materia*, ut *vagam acrimoniam*, *volatilemque & quidem in ſpecie arthriticam* non putaverim non subeſſe.

Colicarum ampla familia eſt, una quoque *arthritica*, quæ *pulſu naturali* exiſtente diriſſimos cruciatus facit, vel vero utut æger decumbere non cogatur, tamen eum moroſiſſimum, doloris impatientiſſimum reddit.

Facies hujus colicæ eſt ea propemodum, ac *colicæ bilioſæ*, ſed chronica ſubinde eſt, aut ſaltem frequenter recurrit.

Hæmorrhagiæ uterinæ, ſeu potius *catamenia protracta* in octo, in viginti quoque dies, catamenia aſſidua, originis arthriticæ vidi ſæpiſſime. Is ipſe continuus vel vero ſæpiſſime recurrens fluxus, pauciſſimis diebus interpoſitis, mihi ſæpiſſime indicium fuit *arthritidis latentis*. Sunt ſimul & alia plerumque ſymptomata materiæ arthriticæ.

Dyſenteria arthritica. Subinde alvus repente fit fluens, torminoſa, cruenta, fitque vere *dyſenteria*. Plerumque alia morbi ſymptomata aliarum partium tunc ſilent. Repente item alvus ſilet arthritide recurrente.

Hæmorrhoides. Raro arthritis diu corpus occupat, nisi simul quoque *hæmorrhoides* æger queratur cœcas, internas, externas, fluentes, & non fluentes.

Plerumque cum *aliquo levamine* fluunt, & sanguinem dant piceum mucosumque. Nonnunquam repente iterum evanescunt, doloribus arthriticis obortis.

Fluor albus a causa arthritica sæpissime est, & *dolorem arthriticam levans.* Plerumque *acer & rodens est mox in principio*, itemque virescens, flavo-virescens, pendula materia, & tenaci.

Vidi hos fluores fere semper aut suspectos haberi, aut *certo venereos.* Alternat is fluor cum doloribus artuum. Vidi magna inde infortunia inter conjuges orta, ut alter alterum haberet suspectum. Apparatu antisiphillitico- mercurialibus nempe & decoctis purificantibus plerumque pejor & pertinacior evadit. Lacte & pinguibus augeri morbum, vel ipsæ fæminæ norunt. Curatur *antarthriticis*, leni purgante diutius propinato, rhabarbarino, aut tonicis admistis.

Nonnunquam per *vices aquæ magnā copia*, veluti turbidum serum lactis per pudenda fluit. Vidi idem fuisse originis arthriticæ.

Fixum in utero dolorem, eumque annosum novi cum aliquo in regione uteri tumore. Scirrhosum & cancrosum jam arbitrabantur artis periti. Fuisse autem *arthriticum* ex migratione doloris in artuum inferiorum alterutrum, & ex ejus curatione constitit.

Corporis superficies diversimode maculatur a materia arthritica. Facies prærubra veluti genis erysipelatosis, adustis; *pustulosa* pustulis rubris: item maculæ lenticulares *rubræ*, veluti petechiales, maculæ ampliores cœruleæ, quemadmodum *a sugillatione*, maculæ veluti scorbuticorum. Maculæ *flavæ latæ*. *Herpetes*.

Plerique morbi nervorum dicti, de quorum evidenti caussa non constat, ad hanc originem sunt revocandi. Sic novi fœminam per complures annos circa quintam maxime vespertinam, subinde etiam circa nonam matutinam, primo morosam factam, dein mentis impotem, ut lachrimaretur sine causa, manus, pedesque jactitaret, atque ita subinde inter voces inconcinnas motusque cubando unam alteramque horam transigeret. *Arthriticam* materiam fuisse postmodum constitit.

Sub-

Subinde paroxysmus ita fit, ut opisthotonum patiatur temporarium, ſeu per aliquot minuta, cum *mentis abſentia*, ſemper cum *validiſſimis brachiorum contorſionibus*, cum *mira & inconcinna oculorum motitatione*, *cum ejulatu*, ſubinde cum exſtaſi, ut veluti attoniti ſint. Nonnunquam etiam cum oris ſpuma & introtractione pollicum, veluti *in epilepſia*. At diſtinguimus has, utut univerſales convulſiones ab epilepſia vera per hoc, quod in hac duo ſtadia perfecte obſerventur, *primum* convulſionis univerſalis, *alterum* ſoporis veluti apoplectici, quo exacto in epilepticis iterum mens redit. At vero in noſtra convulſione arthrica, utut obſervavimus poſt convulſionem ingentem debilitatem, tamen cum ſopore, & eos ronchos ſtadium alterum efficientem non obſervavi.

Nonnunquam renalem plagam dolor occupat, qui ductum ureterum ſequitur. Vidi dolores quoque validos.

Gonorrhœa arthritica, *humida* & *ſicca* occurrit non raro. Subinde *veram gonorrhœam* excipit, cum eaque confunditur errore magno. Subinde oritur absque vera præcedente. Datur, eſtque moleſtiſſima in ſeniculis.

Im-

Imponit pro carunculis, pro hæmorrhoidibus urethræ, veſicæ &c.

Stillicidium urinæ ſenile & dolorificum, ſæpe eſt arthriticum.

Materies arthritica interiora occupans, & reptatus ſenſus in inteſtinis efficiens *pro vermibus* impoſuit. Fit id morbo nondum formato, & materia nondum ad exteriora depoſita.

Proprietates quædam materiæ arthriticæ Ut eo ſecurius judicium feramus de natura & indole materiæ podagricæ, ſequentia ſunt conſideranda, ſcilicet

1) Arthritis vere & autumno, itemque temporibus bilioſis frequentius occurrit.

2) Primum formatæ arthritidis ſtadium eſt omnino analogum ſtadio primo *febris bilioſæ*, ſi febrilis typus ſigna ſaburræ bilioſæ, ſcilicet *amarorem oris*, *urinas*, *dolores faciei*, & *incommoda ventriculi* conſideres.

3) *Febres bilioſæ* neglectis evacuantibus gaſtricis ſæpe abeunt in arthritidem. Item cortice dato, ſi eas pro putridis habeas

4) *Intermittentes bilioſæ* idem faciunt ſub iisdem conditionibus.

5) *Bilioſa aut intermittens* arthritidi ſuperveniens & prudenter tractata, arthritidem ſæpe ſolvit.

6) In

6) In arthriticis ſæpe ſunt ſymptomata ſyſtematis hepatici turbati, obſtructi, hinc *icterus; icterodes* & *cereus color* ſaltem.

7) Morbus niger *Hippocratis*, atra bilis veterum, morbus hypochondriacus cum materie, ſæpiſſime aut producit, aut jungitur, omniaque ſimul ſymptomata ſyſtematis venæ portarum male affecti, obſtructi ſanguine bilioſo, atrabilario, tenaci &c.

8) Sæpiſſime ſimul fiunt *calculoſi*.

Hinc *materies genitrix* eſt probabiliſſime *materies atrabilaria*, ſeu *humor bilioſus*, aut *biliformis*, *ſuperabundans in ſanguine, maxime in ſyſtemate venæ portarum*, a qua materie in *podagra regulari* quotannis, ſi ea ad certam molem increvit, orta febre podagrica, veluti depuratoria, ſanguis depuratur.

Interim non in ſolo humore hoc conſiſtere videtur arthritis, ſed ſimul adeſt *exceſſus irritabilitatis*.

Morbus eſt, uti omnes aliæ febres, *totius ſubſtantiæ*.

Cauſæ remotæ ſunt innumeræ. *Hæreditas*, nam hæreditaria ſunt temperamenta, hinc etiam temperamentum podagricum. Vita deſes, opipara diæta, oleoſa, & pinguis. Vita ſedentaria. Ingluvies frequens.

Affe-

Affectus animi ſimul vehementes, ira, mœror, venus immodica, ſtudia nimia, nocturna, itemque mox a paſtu.

Commoratio in aëre humido, frigidoque. Conſtitutio humida, frigidaque. Febres putridæ, bilioſæ, dyſenteriæ male curatæ, &c.

Arthritis non eſt *contagioſa*. Præſervat ab aliis morbis perſæpe.

Non datur, & vix poteſt dari *antarthriticum* ſpecificum.

Dividitur arthritis ſequenti ratione:

1) In *imperfectam*; ſeu *nondum formatam*, hoc eſt ſola *diatheſis arthritica*.

Sæpe per annos talis manet, præcipue ſi ſubjectum *debile*, venæ ſectionibus, purgantibus &c. debilitatum, aut ſenile fuerit.

Subinde nunquam artus petit. Conqueruntur de ventriculi debilitate, itemque inteſtinorum; bradypepſia, alvo irregulari, hypochondriaſi, levibus doloribus colicis per vices. Urinæ ſubinde difficultas; earum parcitas. Habitus ad ſpeciem bonus.

2) In *formatam*, *perfectamque*, ubi materies exteriora jam petit.

3) *Connata*, ſeu *hæreditaria*. Dantur familiæ podagricæ. Juvat ſubinde hoc ſcire, facit enim ad *diagnoſin latentis arthritidis*:

item-

itemque ad *prognoſin.* Item in *acquiſitam, ætate virili, ſenili.* Sunt tamen & juvenes, qui cito & ante ætatem hoc morbo corripiuntur.

4) *Irregularis*, ubi *periodo incerta partibus non iisdem affectis*, & ita obſervatur, ut conſuetum typum non obſervet.

Irregularem & *anomalam* faciunt inepta methodus, *deſpumationem* podagricæ materiæ prohibens. Uſus *adſtringentium*, *intempeſtive evacuantium. Pravum regimen extra tempora* paroxysmi, ſcilicet *ingurgitatio frequens*, *victus* farinoſus, caſeoſus, oleoſus, & univerſim pinguis. *Seſſio continua. Meditatio.* Animi pathemata. Sed etiam victus *nimis tenuis* extra paroxysmum. Complicatio cum aliis morbis *acutis* æque ac chronicis. Male queritur in uno remedio ſalus; ea ſolum habetur in vitæ genere mututo.

4) In *continuam*, 1) ob materiæ podagricæ copiam; 2) ob virium expultricium defectum, ſeu nativa debilitas, ſeu factitia ſit, ſeu ſenium.

5) In *fixam*, ubi eadem ſemper pars afficitur, e. g. pes, genu, manus, lumbi &c.

6) In *vagam*, quæ errabunde fertur, & volatilis valde nunc hanc, nunc illam partem

cor-

corripit. Vaga arthritis frequentior eſt, curabilior eſt, attamen eventus improviſos habet.

7) In *apertam*, quæ ſub dolorum artus occupantium conſueta forma prodit, &

8) in *larvatam varie*.

9) In *retropreſſam*, 1) ob adplicata ad partem adſtringentia, frigida, unctuoſa; 2) ob uſum debilitantium, venæ ſectionum, purgantium, emeſeos &c.

Frequentior depoſitio ad pulmones, ad ventriculum & inteſtina, ad veſicam, ad caput quoque, ſed rarius.

Stimulus purgantis, indigeſtio. Seu cruditas contracta podagram recurrentem facit ad hanc partem.

Ad ventriculum delata materies vomitus ſæpe bilioſos, enormes, ſubinde moderatos & chronicos facit.

Item ad partem qualemcunque irritatam.

10) In *complicatam varie*; primo febribus quibuscunque, dein cum morbis aliis chronicis quibuscunque. Sed de hac complicatione cum aliis morbis infra diſſeram.

In *cura arthritidis* hoc notato:

1) Cum arthritis ſæpe effectus ſit vitæ otioſæ, diætæ pinguis & lautæ &c. fieri cu-

ra-

rationis initium debere a mutatione vitæ generis, cum iisdem morbificis cauſis adplicatis fruſtra curatio tentatur.

Hanc autem mutationem, quanam illa ratione inſtitui debeat, poſtea exponam.

2) Arthriticorum proles præſervari potius poſſe, quam præſentem jam arthritidem ſanari.

3) Hinc hæreditariam arthritidem jamjam erumpentem ne ſpondeas te ex toto curaturum.

4) Non ſperes, neque etiam facile tentes radicalem arthritidis curam, ſi æger annoſam jam habeat & fere continuam arthritidem; ita enim tunc morbus coaluit cum toto homine, ut eum peſſumdes potius, quam ex toto ab arthritide liberes. Item ſeniculos, aut debiles ex nativa conſtitutione, aut ex cauſſis adventitiis longo tempore adplicatis; ne ſperes te tunc integre ſanaturum, neque id aggrediaris, neque eum ſanabis, qui non animoſe renuntiat cauſis arthritidem producentibus.

Periculoſa ſæpe ſunt ejusmodi tentamina, ſaltem ſemper inania.

5) Non aggrediaris curationem arthritidis, aut podagræ medicatricis, quæ ſcilicet graves alios morbos ſanavit, aut ab iisdem

præſervat. Præſervat autem ſæpe ab obſtructionibus viſcerum abdominalium, ab hypochondriaſi, ab apoplexia, itemque ſæpius etiam a bilioſa febre.

6) Non quovis tempore curationem arthritidis radicalem ſuſcipias, ſed ſolum finito paroxysmo, quo tempore omnium maxime liber eſt æger a materie arthritica, donec nova iterum ſit generata. Etiam cura ſolam mitigans tunc eſt inchoanda.

7) Podagra regulari, moderata exiſtente nihilominus, longævitatem adipiſci poſſumus.

Complicatur cum omnibus aliis morbis, eaque complicatio magni momenti eſt. Podagra enim turbatur facile cum ægri detrimento maximo ab alieno morbo.

Complicatus morbus meretur primariam attentionem.

Fit autem hæc complicatio cum inflammatoria febre. Attamen cave, ne vividum dolorem arthritidis & pulſuum duritiem ſemper habeas pro ſigno inflammationis.

Raro magnæ, aut pertinaces inflammationes ſunt in arthritide, aut podagra.

Nonnunquam cum febre bilioſa complicatur. Hic tamen facile error committi

ne-

nequit. Febris ipſa bilioſa debita methodo curata arthritidem præſentem ſanat, ita ut arthritidis medicina ſit ſuperveniens bilioſa.

Sed bilioſa male tractata in homine etiam antea non arthritico facit arthritidem. Si ſcilicet bilioſam habeas pro inflammatoria, pro putrida, omiſſis evacuantibus gaſtricis, antiſeptica, corticem &c. intempeſtive adhibeas.

Febris pituitoſa ſæpius jungitur, cum podagrici ſæpe ſint habitu paſtaceo, idque vitæ genus ducant, quod favet pituitæ generandæ.

Neque hic magnus error committitur, ſi modo moderatus ſis in evacuantium uſu. Quin imo febris podagrica de utraque, bilioſa nempe & pituitoſa, participat.

Cum febre putrida. Id vidimus hoc anno.

Sæpiſſime cum lue complicatur. Tunc autem difficilis non raro eſt diagnoſis, cum luem habeas facile pro ſimplici arthritide, & vice verſa. Utrumque enim multa ſimilia habet.

Subinde ab ipſa methodo medendi, cum primo lue laborarent, arthritidem contraxere. Diæta ſcilicet lactea, uſus decoctorum, frictionum, & longa ſæpe in cubi-

culo mora, & mœror arthritidi anſam dedere.

Plerumque tunc arthritis ita ſupervenit, & luem jam curatam excipit, ut putes unum eundemque morbum luoſum adhuc continuare.

Rebellis lues ſub bona methodo & in hominibus ceteroquin rite viventibus mihi ſemper eſt ſuſpecta de transitu in alium morbum, & ſæpiſſime in arthritidem.

Cura podagræ regularis alia ſub paroxysmo, alia poſt eundem.

Sub paroxysmo, ſeu ſub febre podagrica duo ſtadia ſunt obſervanda: cruditatis unum, alterum vero coctionis & criſeos.

Quo tempore, collecta ſufficienti mole materiæ arthriticæ, febris excitatur ſub ſymptomatibus initio deſcriptis, continua remittens, quaſi bilioſa, articulis nondum dolentibus, erit primum ſtadium. Materies atrabilaria, biliformis, humor melancholicus, materies arthritica incipit moveri, extricari ex humoribus, ſubigi, id eſt, coqui, ut cocta, ſubactaque extra corpus eliminetur.

Sub hoc ſtadio generali methodo medendi utaris, quiete, tenuiori diæta, eaque antibilioſa. Remedia erunt ſolventia, aperien-

rientia, blandiora, roob ſambuci copioſum &c. Colatoria omnia ſint aperta.

Cavebis, ne quid alterius ægritudinis accedat.

Cavebis ab intempeſtivo uſu venæ ſectionis, purgationum, niſi mannatum, aut tamarindinatum lene excipias.

Febris arthritica, aut podagrica finito primo ſtadio judicatur, ſed criſi ſolum partiali. 1) Urinis bilioſis, jumentoſis & brevi hypoſtaticis, hypoſtaſi ſubalbida, lateritia. 2) Sudore univerſali, poſt mediam noctem prorumpente. 3) Depoſitione materiæ arthriticæ, quæ ſpeciem eryſipelatis format.

Quovis nychtemero exacto criſis partialis contingit, donec omnis materies ſit aut evacuata, aut depoſita.

In hoc ſecundo ſtadio ſub finem exacerbationis ſingulæ, omnibus os amareſcit, pituitaque redundat.

Hinc omni mane juvabit leni tamarindinato, aut cremore tartari alvum reddere faciliorem.

Cum autem magna quantitas materiæ podagricæ deponatur, e. g. ad pedes, juvabit materiem depoſitam revocare.

Hinc est subinde, ut aut recurrat, in debili, seniculo, emesi, purgatione, venae sectione uso, item ob vitia diaetaetica.

Vel vero tota non deponitur, vel dolores excitat intolerabiles.

In recurrente materie praestat balneum aquae calidae, cui semen sinapi infusum fuerat: item cantharidum applicatio, aut sinapismus acrior.

Secus autem proderit tepido pediluvio dolorem lenire.

Semicupia, aut etiam sola pediluvia hic sunt magni momenti.

Hinc apparet, quid & quando moxa prosit? scilicet in podagra recurrente. Item an glacies pedi podagrico adplicata prosit; item balneum nivis.

Quid boni afferant sacculi ex serico serato parati, manibus, pedibusque inditi.

Apparet hinc, & hoc tempore, & sub his conditionibus nullum dari posse antipodagricum melius, quam ipsa febris, quae hic merito *depuratoria* audit.

Omnia alia remedia antipodagrica hinc forent periculosa.

Diaeta hoc tempore sit antibiliosa, febriculae commensurata. Plerumque excarnis, acida.

Fi-

Finito *totali* paroxysmo, qui ſubinde quatuordecim diebus, paucioribus, pluribusve comprehenditur, quive ex totidem partialibus componitur, quorum quilibet integrum nychtemerum complectitur, æger ſurgit liber a materie podagrica & repurgatus. Hoc tempore uti cura *radicali* debet arthritidis, antequam *nova* materies generetur.

Plurima talia remedia laudata ſunt, quorum pleraque aut vana ſunt, aut ſæpius quidem pernicioſa.

Plerorumque remediorum actio hæc fuit, ut, non impedita materiæ podagricæ geneſi, ejus ſolum ad partes externas & extremas depoſitionem impediverint.

Hinc regenerata licet materie podagrica, tamen nulla febris oborta, nulla depoſitio ad artus facta eſt.

Remediorum *adſtringentium* & mere tonicorum ea vis videtur eſſe, ut depoſitionem impediat.

Hinc apoplexiæ, aſthmata, hydrothoraces, crudelis hypochondriaſis. Icteri inſanabiles, morbus niger, lithiaſis; calculi veſicæ, felleæ &c.

Quædam *antipodagrica* videntur alia ratione agere, ſcilicet debilitando vim vitæ, ut

ut febris *depuratoria* naſci nequeat. Fit autem hoc venæ ſectionibus frequenter inſtitutis, purgantibus, uſu lactis aſſiduo. *De lacte & lacticiniis quædam. De lacte ebutyrato, & ſero lactis.*

Curationis initium faciendum eſt poſt paroxysmum, leni purgante primæ viæ ſunt abſtergendæ.

Mutandum vitæ genus ita eſt, ut cauſæ arthritidis productrices ceſſent.

Victus ſit ſimplex, reſtaurans, nutriensque, at non pinguis; pauca fercula. Veſperi carnes nullæ in cœna. Potus aquæ cum vino oligophoro, tenui, vetuſto, auſtriaco. Vitetur ingluvies. Vitentur lac & lacticinia, paſtacea, farinoſa, oleoſa &c.

Veſtitus is ſit, qui paulo denſior ſit, quam pro ratione temporis. Sero deponat, aut nunquam veſtes hyemales. Perfrigeratio vitetur. Levis perfrigeratio invitat paroxysmum. *Largior* diaphoreſis diu noctuque iis eſt neceſſaria.

In hominibus *conſiſtentis ætatis*, aut etiam ſeniculis mutari hoc non poteſt, in juvenibus ſæpe mutari poteſt hæc ad ſudores proclivitas, durarique poteſt corporis ſuperficies balneis frigidis, frictionibus &c.

Mul-

Multum ſtudii ponat arthriticus in veſtium genere apto.

Habitet, ſi per alias conditiones ipſi liceat, in amplo cubiculo, loco *elato*, ruri per æſtatem. Peſſima eſt complicatio ſcorbuti cum arthritide, quæ tamen contingit in habitatione humida.

Animus quoque componi debet, ſtudia *ſeveriora*, *nocturna*, *ingrata*, poſt *paſtum* culta removenda. Sunt, qui unice in recuperanda valetudine verſantur, at ita anxii, ut omnis eorum cogitatio circa hoc unicum objectum ſit. Vel ipſa *nimia* cura nervos labefactat.

Oblectent animum ſtudiis *amœnioribus*, & ubi meditatione, aut longa ſeſſione opus non eſt. Rerum naturalium, antiquitatum collectio &c.

Itinerari ſimul in regiones calidiores, non tamen depreſſas per Galliam, Italiamque. Et inſtar Ulyſſis oberrare, qui hominum multorum mores vidit & urbes. Vita antea *laborioſiſſima*, nunc *otioſa* ſuos multat.

Motus corporis *moderatus* ſit, mane itemque veſperi, qui *recreet*, non qui fatiget. Equitatio non aſſuetos, & equo pernici hos lædit. Hoc hominum genus proclivius eſt in exceſſu, etiam iis in rebus,

quæ cæteroquin bonæ & ſalutares ſunt. Ruſticatio.

Aquæ frigidæ uſus eximius eſt, & plus præſtat, quam quodcunque aliud genus remediorum.

A *lotionibus* inchoandum *mane*, quadrante poſtquam ſurrexerit e lecto, probe deterſi. Si ipſi perfricent aqua frigida, levem poſtea motum faciant.

Semper & *ubique* locorum hoc genus balnei adhiberi poteſt, eſtque maximi momenti. Sæpe ſolum ſufficit.

Deinde balneum ipſum, cui inſideas, *mane* inter *continuos motus*, quamdiu?

Natationes. Stürzbad. Modus adhibendi, indicationes, contraindicationes.

Uſus cichorei, taraxaci, ita ut fiat ſaturatiſſimum decoctum, ſeu extractum liquidum.

Hinc ſumi hæ radices debent *ad libram unam*, fortiter decoquendæ ſunt, & prelo exprimendæ, cum ſyrupo radicum quinque aperientium, terra foliata tartari aut tartaro tartariſato, aut ſale mirabili Glauberi.

Vanus uſus eſt, ſi pauxillum *extracti* ſolum dederis.

Neque in *copioſo* vehiculo, neque magnis doſibus danda ſunt ea remedia.

Con-

Conſerva trifolii fibrini, menthæ, cochleari cum pauxillo rhei, ſale mirabili, cremore tartari.

Serum lactis cremore tartari paratum, cui cichoreum, taraxacum vel vero meliſſa, mentha, ſalvia fuerit incocta.

Lac ebutyratum egregium eſt ſolvens antibiliosum, antarthriticum, mane inſtar jentaculi, veſperique ſumtum cum ruſticatione. Vidi ipſe id profuiſſe. Si herbas quasdam gratas, leviterque aromaticas frigide ſimul infundas, erit præſtans remedium.

Quajacum in hominibus *paſtaceis*, obeſisque, in taffia cum floribus ſulphuris cum cremore tartari & ſaccharo tritum. Alvus ſub ejus uſu ſit facilior.

Antimonium & ejus *præparata*; *doſis*: & connubium cum guajaco, extracto myrrhæ aquoſo, aconito. Sulphur cum aconito. &c.

Cura *arthritidis imperfectæ*, ſeu *nondum formatæ aperientibus* iisdem peragitur. Idem & potiſſimum quidem *vitæ genere mutato* ex ſedentario in activum, miſſis ſtudiis &c. peregrinationes in calidas regiones, inde potior ſæpe thermarum diſſitarum utilitas.

Plerumque *ſenſim* diſparet, raro fit regularis.

Arthritis ***encephalum*** occupans itemque capitis integumenta, oculos &c. tentatur ***matutino*** eccoprotico, eoque mannato, veſpertino autem diaphoretico. Item derivante *ſinapismo*, *veſicante*, cortice mezeræi.

Tandem quoque *lippitudo arthritica*, *cataracta arthritica*, *amauroſis arthritica*.

Aſthma arthriticum: veſicans inter ſcapulas; flores ſulphuris, ipecacuanha in fractis doſibus, kermes minerale.

Hæmorrhagiæ arthriticæ, etiam pulmonum, uterique, raro periculoſæ ſunt, utut longæ. Negligi poſſunt, ita ut peculiare remedium illis non opponas. Sanantur eadem methodo, qua ipſa arthritis.

Materies arthritica frequens eſt abortuum cauſſa, maxime primis tribus aut quatuor menſibus: *gravis obſervatio*.

Dyſenteria arthritica. Veſicante ad abdomen poſito tollitur. Nihilominus ſæpe *longa* eſt, per ſeptimanas, quin etiam menſes. Equitatione & *balneo* frigido, ſi *habitualis* evaſerit. Infuſo frigido corticis.

Fluor albus arthriticarum, paucis rhei doſibus, ſolventibus, alvum ſimul modice moven-

ventibus ſanatur. Univerſim antarthriticum petit.

Facies puſtuloſa ſanatur ſolventibus, eccoproticis, antarthriticis.

Gonorrhœa arthritica, ſtranguria ſenilis balſamo copaivæ vitello ovi ſubacto ſanatur. Pilulis *balſamicis*, therebinthina cocta in pilulas redacta, item cantharidum tinctura perinæo illita, item interne aſſumpta.

Vomitus a recurrente podagra compeſcitur *opio, theriaca, ſudoriferis* potulentis, iisque ſpirituoſioribus. Tinctura cinnamomi, *adſtringentibus* ſimul, uti tinctura ſucci catechu, *actu frigidis*, potu glaciali, glacie ſcrobiculo adplicata, eſu glaciei (Gefrornes)

Quidquid enim pedi podagrico adplicatum podagram inde fugat, idem etiam adplicatum ventriculo idem præſtabit, ſi podagra ſit ad ventriculum delata.

Interea pedi antea podagrico balnea admovenda, *emollientia*, irritantia.

Veſicans ſcrobiculo admotum reliqua remedia adjuvabit.

Subinde retropreſſa podagra iterum deponitur ad artus extremos. Subinde autem *ſenſim ſine ſenſu* ſatiſcit, quin redeat ad artus.

Diar-

Diarrhœa, *dyſenteria longa*, arthritica tollitur *ſudoriferis*, *theriaca*, *veſicante*, *equitatione*, *natatione*.

Capiti inſidens arthritis poſcit ad nucham veſicans, *actu frigida* fomenta ad caput. *Diaphoretica*. Alvi dejectiones.

Convulſio multiplex a materie arthritica petit *veſicans*, *opiata*, *balnea tepida*, ſeu *fomenta*.

Hæc de arthritide hoc anno dicta ſunt. Plura ſuppeterent in eandem rem proponenda, ni hæc ſuffectura exiſtimarem, & niſi plura adhuc reſtarent de febribus exponenda.

SE-

SECTIO V.

ADNOTATIONES
IN
FEBREM RHEUMATICAM,
ET
ARTHRITIDEM.

DISCRIMEN
INTER
RHEUMATISMUM
ET
ARTHRITIDEM.

Ad morbos, qui noſtra ætate latius dominantur, & ægrorum æque patientiam, ac medicorum induſtriam vexant, rheumaticæ, arthriticæque affectiones potiſſimum pertinent. Quamvis autem utrumque malum re ipſa, ut poſtea videbimus, haud differant, juvabit tamen hoſce ægritudines ſeorſim contemplari, ut cognitio, medendique methodus, quam hujus morbi verſatile ingenium non raro difficilem atque periculoſam reddit, clarius pateat.

Atque primo quidem in limine medicorum lis orta eſt, an congeneres morbi ſint rheumatiſmus ac arthritis. Varii varium diſcrimen inter utrumque morbum poſuere. Aliqui ab externo habitu notas deſumebant,

e quibus tamen magis quid timendum sperandumve, quam quid agendum sit, concluditur. Damus utique, homines subinde per totam vitam unica tantum vice rheumatismo affici, contra ac in arthritide fieri solet; at nulla inde indicatio derivari poterit.

Alii febrim rheumatismo semper junctam esse asserunt, aliis interim id negantibus. Atque ipse *Sydenhamus* arthritidem a rheumatismo differe contendit, quod illa absque febre plerumque sit, febris saltem dolorem sequatur. At neque hoc practicam morbi ideam suppeditat.

Macbridius arthritidem a rheumatismo, ut variolæ a morbillis, id est, non forma tantum, sed re ipsa differre, auctor est. Sed immemor erat vir doctissimus, rheumatismos in arthritides sæpissime mutari, atque juvenes ætate vegeta rheumatismis vexari solitos, ætate magis provecta arthriticos evadere.

Neque illæ differentiæ, quæ a contagiosa arthritidis natura, a læsa ventriculi facultate tanquam certo prodromo articularis morbi, aut materie calcarea, quæ ex variis corporum arthriticorum locis subinde ejicitur, peti solent, majoris usus sunt, cum partim incerta, imo etiam falsa sint.

Cum

Cum itaque facilis morbi unius in alterum transmutatio obſervetur, haud puto ingenium horum morborum diſpar eſſe; atque ſi aliquod ſit diſcrimen inter rheumatismum & arthritidem, id omne a varia cauſa excitantis indole derivandum eſſe arbitror.

Uterque enim morbus id commune habet, ut a *plethora acri* oriatur; proprius tamen cuilibet morbo modus ineſt, quo acredo hæc generatur, & corpori inhæret.

Si plethora hæc acris a cauſa potiſſimum externa, eoque tranſitoria, producatur, rheumatismus oritur; cujus rei exemplum in perfrigerio, frequentiſſima rheumatismorum cauſa, habemus. Morbi materia tunc ad articulos, ad illorum interſtitia aut alias partes facile decumbit. Verum ſi humorum acris degeneratio a vita otioſa, victu lauta, veneris abuſu, animi adfectibus, &c., aut vitio hæreditario initium duxerit, tanta ſcilicet viſceribus labe inducta, ut illa naturalis ſanguinis humorumque blandities abſit; omnis tunc dolor ab illo acri productus, tenſivus, preſſorius, punctorius, lancinans, pungens, cum vel absque tumore aut rubore, & in quacunque corporis parte, *arthritis* audit.

 Etſi

Etſi hæc etiam rheumatismi & arthritidis diſtinctio, quid agendum ſit, non ſuggerat, ad prognoſim tamen ſtatuendam plurimum utilitatis habet; uti enim in rheumatismo a leviori cauſa, eaque minus pertinaciter ſano cæteroquin corpori inhærente, nato; ſanitatem ægris facile promittimus: ita in arthritide, ubi major humorum a nativa blanditie receſſus, & gravior ſolidarum partium labes jungitur, malum non uni tantum alterive parti inhæret, difflata cauſa brevi abigendum, ſed de morbo totius ſubſtantiæ nunc agitur, non niſi mutata quoque tota morbi ſubſtantia perſanando.

VARIÆ SPECIES RHEUMATISMI.

Inter omnes ſpecies rheumatismi, rheumatismus inflammatorius, a *Sydenhamo* a) graphice deſcriptus, frequentiſſime occurrit. Quomodo inflammatio rheumatica a vera differat, a *Stollio* pluribus in locis explicatum legitur. De ſanguine tamen id notandum: etſi rheumaticorum ſanguis cruſta ut plurimum diffuſa tectus ſit, tamen & hic phœnomenorum anomalia ſubinde obſervatur.

a) *Sydenhami* Op. p. 272.

tur. Ill. v. *Swieten* b), narrat hiſtorias morborum inflammatorio-rheumaticorum graviſſimorum, quin tamen in ſanguine, etiam repetitis vicibus detracto, cruſta apparuerit. Deſcribit etiam pleuritidem inflammatorio-rheumaticam; dolor enim repente, una cum febre incidit, & ſymptomata paulo mitiora, quo iterum rheumaticæ inflammationes a genuina differunt. Sanguis una die bis detractus nullam cruſtam exhibuit. Eodem libro rheumaticam inflammationem epidemicam deſcribit; ubi ſanguis absque cruſta,

Ad rheumatiſmum inflammatorium is etiam pertinet, qui fœminas menſtruis proxime emanſuris affligit.

Inſignis eſt in rheumatiſmis inflammatoriis topica ſanguinis per hirudines evacuatio; at requiritur, ut non nimis parca copia adplicentur. Efficax etiam remedium in ſcarificatione habetur, attamen profunda ſit inciſio, qua cautela neglecta, ferme nihil ſanguinis effluit, ut Fr. *Hoffmannus* jam monuit.

Subinde rheumatica materies ad musculos faciei deponitur, præſertim unius lateris. At loco doloris quædam immobilitatis ſpecies

b) Il. v. *Swieten* Conſtitut. epidem. P. I. p. 20.

remanet, reliquo corpore ſaniſſimo. Morbus hic haud infrequens eſt, atque non niſi cognita rheumatis indole cognoſcitur. Nulla ex apparatu antiparalytico ſalus; neque valeriana, neque cortex medetur, morbus ſub horum uſu continuo increſcit, aut, quod frequentius contingit, necquidquam mutatur. *Hænius* jam hanc muſculorum faciei paralyſis pertinaciam notavit. Exemplum habemus viri, qui ex perfrigerio bis ſibi hanc ægritudinem contraxerat. Prima vice ſub uſu remediorum ſtimulantium diu absque levamine morbum traxit; malum tandem ſponte fatiscebat; altera autem vice, eodem vitio, ex eadem cauſa contracto, facta venæ ſectione, & balneo pedum, mox ſanatus eſt.

Rheumatismum bilioſum apud *Stollium* a) deſcriptum legimus. „ Adulta æſtate, atque initio autumni, quo morbi gaſtrici bilioſi dominium obtinent, *rheumatismus bilioſus* frequentiſſimus eſt, in his præcipue, qui ex morbo bilioſo convaluerunt, ſi forte durante morbo aut nulla, aut non ſufficiens per vomitum atque alvum bilioſæ ſaburræ evacuatio fuerit inſtituta, Poſt dyſenteriam bilio-

a) *Stoll* Rat. med. P. I. p. 21.

bilioſam adſtringentibus opiatisque præmature ſublatam, poſt febres autumnales præcoci corticis uſu ſufflaminatus, præcipue vero, ſi intempeſtivis ſudoribus materies verſus corporis ſuperficiem fuerat determinata, frequentiſſimos vidi rheumaticos dolores diuturnos, & plerumque absque febre. Solventia, alvum leniter ducentia, frictiones, omniaque ea, quæ materiam hærentem in motum agunt, balnea mineralia, ſucci herborum antiſcorbuticarum, gummi ferulacea omnem paginam abſolvebant.

Idem etiam inter rheumatismos inflammatorios, & bilioſos diſcrimen a *Schrœdero* a) luculenter expoſitum eſt.

Cum rheumatismo bilioſo is etiam conjunctus eſt, quem *Sydenhamus* ex nimis diuturno corticis uſu provenire arbitrabatur; verum non cortex, ut recte animadvertit *Stollius*, ſed uſus ejus præmaturus ante requiſitam materiæ febrilis coctionem, & evacuationem hoſce rheumaticos dolores genuit.

Rheumata periodica *Stollius* quoque obſervavit, cortice ſanatos. " Hoc menſe Januario 1779 odontalgiæ frequentes fuere, quæ primo continuæ erant, dein remiſerunt, ita, ut

---

a) *Schrœder* opusc. V. I. p. 68.

ut interdiu vix, & mitiſſime, atque per vices affligerent, noctu vero crudeliſſime ægros exerciarent, donec ſub auroram denuo miteſcerent: nil profuit, niſi præmiſſo ſolvente ſalinoque remedio cortex peruvianus; qui minori doſi, & citius has odontalgias compreſſit, quam alias ſolet intermittentes comprimere. „ Rat. Med. P. III. pag. 95.

TUMORES RHEUMATICI.

Tumores, qui corpora rheumatismo affecta occupant, non uno modo ſe habent. Nonnunquam, quamprimum comparent, fluctuatio in iis percipitur; aliquando id ſæpius, aut etiam omnino non contingit. Hi tumores podagram nonnunquam præcedunt, aut ſequuntur, quos, ne externis remediis neque internis retropellas, *Baglivius* hortatur a) Tumores, qui circa finem comparent, & tarde diſcutiuntur, ſpem faciunt, ut ægri per longiora intervalla a podagra immunes maneant b).

Tumo-

a) *Bagliv. Oper.* p. 193.

b) *Hiſt. morbor. Wratislav.* p. 316.

Tumores hi rheumatici, atque arthritici sanguinis missionem, fotus emollientes, maxime autem hirudines poscunt, quibus dolores talium tumorum non raro incantamenti adinstar sopiuntur. Recte itaque *Paulus Ægineta* monuit: " Cum viscida & crassa materia praecellit, cardiaca adferunt praesidia; acri autem & ferventiori humoris qualitate superante, refrigerantibus placantur dolores. „

Frequens ceterum, chirurgorum praesertim error est, qui talibus tumoribus conspicuis, rheumaticam articulorum affectionem vi externae illatae adscribunt; atque *Pauli Æginetae* temporibus hunc errorem frequentissimum fuisse scimus: " Cum quidam ex prolapsu, aut propulsationibus, aut luxationibus, aut id genus, primam morbi articularis tentationem auspicati sunt; antecedente interim in corpore materia, quae antea quiescebat, sed quam evidens causa movet. „ L. III. Cap. 78. p. 299.

Summam denique rheumatismorum cum dysenteria affinitatem intercedere, Illustriss. *Switenii* observationibus comprobatur. c)

c) Van *Swieten* constit. epidem. T. I. p. 11. & 12.

Viderat is *Lugduni Batavorum* anno 1739 epidemicam biliofam febrim, quæ per aliquot jam annos ftationem tenuit. Menfe Julio hujus anni magis fævit hæc biliofa, atque inteftina præcipue longis alvi fluxibus affligebantur. Acceffit inconftans tempeftas, unde transfpiratio plurima impedita. Nullæ tunc dyfenteriæ. At menfe primum Octobris, aëre licet maxime fereno, dyfenteriæ prodibant, regnantibus una doloribus rheumaticis, pleuritide, coryza, odontalgiis, catarrhis. Mira tunc inter hos morbos relatio obfervabatur, cum enim rariores dyfenteriæ erant, infrequens etiam rheumatismus.

ANTIQUITATES ARTHRITIDIS.

Non eft animus hiftoriam fcribere, atque omnia excerpere, quæ apud græcos, romanosqne fcriptores de articulari morbo leguntur, aliqua tamen adnotare non fuperfluum effe exiftimo.

Podagram *Alexandri Tralliani* tempore frequentius homines vexaffe, ex *Freindii* a) hiftoria patet: " In tractanda podagra, de qua nihil quicquam prodidit *Gale-*

a) *Freind.* op. p. 159.

lenus, librum *Alexander* integrum ponit; unde fortaſſe morbum hunc hujus tempore magis invaluiſſe quis crediderit. Quem præcipue purgantium ope is levare nititur; & in plerisque hujusmodi ab eo ordinatis compoſitionibus hermodactyli (quas quidem ille vix ab *Oribaſio* , *Aëtio*que memoratas quantivis facit) maximam partem gerunt. Vides, quam parum recens inventio ſit, ſicut vane a quibusdam putatur, podagræ per purgantia mederi velle; quod malum fortaſſe omnino non curari magis expedit, quam ſi quis in eo eximias iſtas formulas ab *Alexandro* præſcriptas adhibuerit; licet hæ virtute haudquaquam cedant iis, quæ hodierni paſſim medicaſtri venditant. „

Inter *Arabes* medicos *Rhazes* articularis morbi mentionem facit, de quo idem *Freindius* Oper. pag. 237. ſequentia habet: " Liber de articulorum affectibus perquam dignus eſt, qui legatur: ſiquidem in eo eximiæ nonnullæ, atque haud vulgares curationes, ope venæ ſectionis præcipue effectæ recitantur. Satis ſingulare eſt id, quod executus eſt in muliere quadam, validi habitus, vehementem dolorem perpeſſa, quem durus atque inflammatus in dextro carpo tumor excitaverat. Venam baſilicam & ſa-

phæ-

phænam eadem hora incidit, atque ex altera utraque detraxit ſemilibram ſanguinis. Poſt tres horas, ſoluta faſcia, iterum eadem quantitate ſanguinem miſit, datoque convenienti alimento, rurſus, interpoſito trium horarum ſpatio, ſaphænam tertia vice aperuit, detractaque ad eundem modum altera ſemilibra, dolor cum punctione illico evanuit. Fuſe quoque rationes exponit, quæ ſe ad revulſionem in inferioribus partibus faciendam moverint. „

Egregiam podagræ deſcriptionem *Celſus* a) reliquit: " In manibus, pedibusque articulorum vitia frequentiora, longioraque ſunt, quæ in podagris, chiragrisve eſſe conſuerunt. Ea raro vel caſtratos, vel pueros ante fœminæ coitum, vel mulieres, niſi quibus menſtrua ſuppreſſa ſunt, tentant. Ubi ſentire cœperunt, ſanguis mittendus eſt, id enim inter initia ſtatim factum, ſæpe annuam, nonnunquam perpetuum valetudinem bonam præſtat. Quidam etiam, cum aſinino lacte epoto ſe eluiſſent, in perpetuum hoc malum evaſerunt. Quidam, cum toto anno vino, mulſo, venere ſibi tempe-

raſ-

a) Lib. IV. Cap. XXIV.

rassent, securitatem totius vitæ consecuti sunt. Idque utique post primum dolorem servandum est, etiamsi quievit. Quodsi jam consuetudo ejus facta est, potest quidem aliquis esse securior iis temporibus, quibus dolor se remisit: majorem vero curam adhibere debet is, quibus id revertitur; quod fere vere, autumnove fieri solet.„

Morbum articularem, non hominibus modo, sed pecudi etiam infestum esse, cuncti medicinæ scriptores observarunt. Inter quos insignis locus apud *Vegetium* a) habetur:

" Articularis autem morbus, quem ἀρθρίτην græci vocant, per hæc monstratur indicia. Interdum paucis, interdum plurimis diebus ab articulis claudicabit, ut ictu calcis alterius animalis percussus, aut negligentia impactus, aut saxo, vel fuste videatur elisus. Sed hæc solet esse distantia, ut illa quælibet læsio loco figatur, hæc autem passio, quia erratica est, subito ad pedem alterum migrat. Præterea ossibus adstringitur cutis, & ad tactum tractanti dura resistit. Rigescit spina, corpusque contrahitur, pilus erectus & horridus, ac deformis aspectus,

---

a) *Vegetius* pecud. medic. L. I. cap. VI. Ed. Gesn.

ctus, macie corpus affectum, & quamvis non recuſet alimenta, nec curat, ſi deſint: indies tamen deterior fit & triſtior, difficulterque curatur. „

Curam deinde ſubjicit Cap. XIII. " Articularis morbus his declaratur ſignis. Claudicabit alternis pedibus, modo prioribus, modo poſterioribus, & quaſi tumor eidem in articulis circa coronas, vel certe in genibus apparebit, propterea, quod peſtilentia morbi corruptus ſanguis nervos & venas implet, & lædit, atque debilitat. Huic ſanguinem primo de cervice, hoc eſt, de matricali vena detrahes : quem aceto acerrimo permixtum per totum animalis corpus induces, id eſt, illa loca, quæ vexata ſunt, diligentius ungas, quia creditur ſanguis emiſſus in corpore, & corpori rurſus cum aceto impoſitus, vitia morboſa ſiccare.

DE

DE FEBRE HÆMORRHOIDALI.

A primis jam medicinæ incunabulis attenti obſervatores, quidquid experientia de hæmorhoidibus conſtaret, memoria tradiderunt; unde ad noſtram usque ætatem de cauſis, effectibus, relatione, nexu, natura, varia hæmorrhoidum conditione obſervationum ſylva in immenſum excrevit. At febrim inde accendi, de *Haën* auctor eſt; ſaltem, quis majorum de febre hæmorrhoidali eodem cum illo ſenſu egerit, ſcio neminem. Non enim ille hoc nomine intelligit febrim, ut ejusdem diſcipulorum nonnulli quondam male intellexiſſe videntur, vel quæ ab hæmorrhoidum affectione, obſtructione, inflammatione ſuam ducat originem, vel quæ hæmorrhoidum fluxum a) pro criſi habeat. Sed talis eſt febris illius indoles, ut in ſumma, imo in increſcente cruditate bonis gauderet perturbationibus criticis, quæ irritis, nec per alias evacuationes ſuppletis ad evacuandum criſibus brevi tutoque judicata eſſet b), ſimilem porro febrim hæmorrhoidalem

a) De *Haën* Rat. med. P. VII. p. 212.
b) L. c. p. 214.

lem epidemicam obſervavit Illuſtriſſimus L. B. de *Störk.* a)

Cur autem febris hæc, uti vult *Haënius*, ſui ſimilem in tota hiſtoria medica non habet? An febris eſt ſui generis & ſpecifica?

Clar. *Selle* in præclaro ſuo opere pyretologico nec unquam hujus nominis meminit, ut adeo, quidquid circa hæmorrhoides obſervatur, ad febris cujusdam ſymptomata potius referre videatur.

At tanta eſt *Haënii* auctoritas, tanta hujus viri in obſervando acuties, ut res hæc adcuratiori paulo indagatione digna ſit.

Elapſa hyeme, adulta præſertim, cum ver jamjam appropinquaret, magna morborum rheumaticorum cohors late graſſabatur, ſanguine tunc temporis ſumme phlogiſtico, pauca tantum bile commixta, eaque ferme inerti. Contigit mihi, regnante hac conſtitutione epidemica, occaſio, febrem hanc hæmorrhoidalem *Haënii* in tribus ægris obſervandi, quorum hiſtorias accurate deſcriptas hic ſubjungo.

HI-

a) Ann. medic. L. I. p. 143.

HISTORIA MORBI I.

Juvenis 16 annorum, variolis & morbillis rite defunctus, ante annum tuſſi convulſiva laborabat. Tarda ſemper alvus, & frequens colica ſtercorea. Cæterum corporis habitus plenus, euſarcus.

Ab aliquo jam tempore frigus aſſiduum; dædolatio. Acceſſit nuper cephalalgia ad verticem, ſæviſſimus ante jentaculum. Veſperi calor per totam noctem; ſomnus inquietus.

Die $\frac{18}{1}$ *Febr.*

Die 18. Februarii vocatus, ægrum extra lectum inveni aſſiduo febrientem, cum lingua ſicca, albida, ſapore oris non depravato. Reſpiratio vix læſa eſſe videbatur, at ſub profundiori inſpiratione tuſſis movebatur.

Abdomen inflatum, alvus conſtipata; pulſus celer, fortis, durus. Calor horroribus vagis prægreſſis intenſior.

Clysma eccoproticum.

Decoctum ſalap cum nitro & roob ſambuci.

Emulſum tenue; tepide pro potu communi.

 Die

Die 1/2 Febr.

Noctu inquies multa. Frequentior tuſſiendi neceſſitas.

Vagi circa lumbos dolores, ad regionem pubis protenſi. Urinæ parcæ, ſtranguriosæ. Frequens mingendi neceſſitas. Cutis ſicca. Pulſus idem qui heri.

Venæ ſectio unc. x.
Clysma evacuans omni trihorio.
Cataplasma emolliens ad abdomen.
Reliqua eadem.

Ad veſperam febris intenſior heſterna. Imperitia chirurgi ſex tantum circiter unciæ ſanguinis emiſſæ. Sanguis tenax, absque cruſta. Semel depoſuit alvum figuratam, copioſam. Urinæ parcæ, cum ſedimento albo. Eadem mingendi difficultas.

Die 2/3 Febr.

Nox magis inquieta. Reſpiratio melior. Cephalalgia vehementior. Stillicidium ſanguinis e naribus. Alvus nulla, præſente licet conatu alvum deponendi.

Dolores colici leviores, obtuſi, ſubintrantes, torminoſi, per abdomen erratici. Murmura, borborygmi; frequens ructuum flatumque exploſio; ſingultus.

Uri-

Urinæ hac nocte & cum facilitate & magna copia mittebantur, colore naturales, cum hypoſtaſi alba, mucoſa.

Pulſus frequentior heſterno, inæqualis.

Eadem remedia.

Ad veſperam febris exacerbatio heſterna gravior. Abhorruit a venæ ſectione. Hinc res omnis emollientibus committebatur. Ob alvum conſtipatam clyſma injiciebatur.

Die $\frac{21}{4}$ Febr.

Nox heſternæ ſimilis. Verſus auroram ſomnus. Mane accedens inveni dormientem, aut potius ſomno profundo immerſum, inter dentium ſtridores (ex conſuetudine) evigilat. Animus triſtis, moroſus, facies rubra, narium ſiccitas; oculi ſcintillantes; frequenter nares contrectat, fricatque.

Reſpiratio bona, febris mitior. Alvus ſemel depoſita, copioſa, ſicca; urinæ copioſæ, hyſtericarum urinis ſimiles. Hypochondria tenſa. Abiens monui adſtantes, ne erupturam narium hæmorrhagiam ullo modo cohibeant.

Sera veſpera larga narium hæmorrhagia; mitior exacerbatio.

Die $\frac{22}{5}$ Febr.

Nox inquieta. Somnus parcus. Caput, reſpiratio, abdomen, ſyſtema uropoieticum liberum. Suborti articulorum dolores.

Pulſus æqualis, minus frequens, mollior. Hodie veſpertina exacerbatio mitior.

Hac ratione febris perrexit ad 14. usque morbi diem; ubi inſigniter mitigata.

Dedi electuarium ex roob ſambuci unc. iij, & nitri drachmis iij.

Melius in dies ſe habuit a febre; articulorum tamen adhuc dolor. Reſpiratio paulo tuſſiculoſa, levior thoracis oppreſſio; pulſu tamen non multum irritato. Datum decoctum prius.

Sinapismus ad locum interſcapularem.

Die 21. morbi perfecte convaluit; nulla ulteriori excretione ſuperveniente. Cum alvus toto morbi decurſu, & jam ante morbum moroſior eſſet, dedi decoctum ſolvens ex gram. cich. taraxaco cum ſale mirab. Glauberi.

HISTORIA MORBI II.

Decima Martii in alio ægro ſequentia obſervavi.

Die ♀ Martii.

Juvenis 23 annorum; jam a longo tempore hæmorrhoides fluentes, dolentesque. Frequentes colici dolores; flatulentia, præ-

ſertim

ſertim a paſtu, ventriculo tunc ſimul inflato. Alvus modo conſtipata per plures dies, larga repente diarrhœa ſubſequente. Calores ſæpe erratici. Triſtitia absque manifeſta cauſa. Nonnunquam ingens cordis palpitatio, & noctes inde inſomnes. A triduo valida cephalalgia; laſſitudo. Nona Martii ſera veſpera acceſſit horror, quem mox aſſiduus calor excipit. Nox inſomnis.

Die $\frac{10}{2}$ Martii.

Mane eadem ferme conquerebatur. Reſpiratio bona. Alvus parca, tarda. Urinæ naturalibus coloratiores. Pulſus celerior.

Emollientia tepida, nitroſa.

Ad veſperam exacerbatio.

Die $\frac{11}{3}$ Martii.

Nox heſterna gravior; reliqua etiam ſymptomata graviora.

Circa meridiem cutis rigiditas, pruritus, rubor, æqualis & vappidus calor, mollities. Urinæ parcæ, turbulentæ, cum nubecula albo-mucoſa. Alvus conſtipata. Pulſus adhuc celerior naturali.

Ad veſperam exacerbatio; urinæ copioſæ, naturalibus multo coloratiores. Alvum bis depoſuit conſiſtentem.

Die $\frac{12}{4}$ Martii.

Nox præcedenti ſimilis. Omnia pejora; petechiæ; articulorum dolores.

Venæ ſectio unc. x.

Veſperi exacerbatio prioribus mitior.

$\frac{13}{5}$ Dormivit hac nocte per vices. Febris mitior; omnia emendata. Exacerbatio mitis. Pergit in uſu remediorum.

$\frac{14}{6}$ Dormivit; ſat bene habet. Febris mitiſſima, dolores artuum vagi.

Emollientia.

Roob ſambuci cum nitro.

Veſperi denuo magis incaluit.

$\frac{15}{7}$ Bene dormivit. Diſpoſitio febriculoſa. Dolores vagi. Ad veſperam bene habet.

$\frac{16}{8}$ Nox ut prior. Apyretos. Dolores artuum.

Tartari emetici gr. j. ex aqua ſambuc.

Convaluit.

HISTORIA MORBI III.

Die $\frac{14}{1}$ April.

Adoleſcens 26 annorum. Sæpius ex morbo acuto decubuit. Ab anno circiter ſaniſſimus. 14. Aprilis, horis pomeridianis, absque cauſa excitante manifeſta prægreſſa horrore valido corripitur, vehementi calo-

re

re ſubſequo; ſenſus ſtuporis; anorexia; vomiturítiones aſſiduæ; dolor inter ſcapulas aſſiduus.

Ad veſperam accerſitus obſervavi ſequentia:

Reſpiratio valde laborioſa, pulmonibus & thorace tamen integro. Sitis magna; lingua ſicca & prærubra. Pulſus plenus, fortis, durus. Alvus nulla. Calor naturali paulo major.

Venæ ſectio unc. x.

Decoctum ſalap. cum nitro & roob ſambuc.

Die $\frac{15}{2}$ April.

Nox inſomnis. Per vices delirium; anxietas, jactitatio aſſidua; querelæ multæ, deſperans animus; tremor labii inferioris; ſputatio frequens; horrores vagi; copioſiſſimi ructus. Alvus clauſa. Urinæ copioſiores, cum ſedimento albo, pituitoſo. Febris hodie intenſior.

Venæ ſectio unc. x.

Emollientia.

Clysmata frequenter injecta.

Ad veſperam pejus ſe habuit. Hinc Venæ ſectio unc. x.

Die $\frac{16}{3}$ *April.*

Nox melior, febris mitior. Omnia emendata. Ad veſperam exacerbatio, tuſſicula ſicca.

Venæ ſectio unc. viii.

Die $\frac{17}{4}$ *April.*

Nox melior; tuſſitabat. Reſpiratio bona. Reliqua ſymptomata mitiora. Eadem medicamenta continuantur.

Veſperi exacerbatio.

$\frac{18}{5}$ Omnia emendata. Veſperi leviſſima exacerbatio.

$\frac{19}{6}$ Nox bona. Febris mitiſſima. Nulla exacerbatio.

$\frac{23}{10}$ Apyretos. Appetit. Convaluit.

Non eo animo has morborum hiſtorias enarravi, ac ſi in iis perſanandis magnum quid me præſtitiſſe exiſtimem. Mitis enim horum morborum decurſus, absque magno ſymptomatum apparatu, atque in corporibus haud infortunate diſpoſitis.

At tamen, ut jurisconſulti, quid juſtum, iniquumve ſit, a *factis* deducunt, ita Medicorum de dignoſcendis curandisque, raticioniis, caſtis obſervationibus fulta eſſe oportet. Quid hæ morborum hiſtoriæ ad meam de hœmorrhoidali febre opinionem faciant, paucis exponam.

Sed

Univerſim itaque anni tempus conſiderandum erat. Conſtitutio enim rheumatico-inflammatoria ſtationaria tunc regnabat; ut morbos horum trium ægrorum, febrem rheumatico-inflammatoriam, ſeu ſynochum imputrem in corpore arthritico ſævientem, recte dixeris.

Fuit certe in I ægro fibra tenera, irritabilis; quod, etſi primo intuitu vix appareret, ex tuſſi tamen convulſiva, qua ante annum vexabatur, facile colligitur. En unum, idque grave ſignum temperamenti arthritici, auctam nempe irritabilitatem. Accedit, quod is ipſe æger ex patre arthritico natus ſit, atque omnes etiam ſorores ex articulari morbo laborent. Porro cephalalgia illa ad verticem, ante jentaculum potiſſimum affligens, a *Whyttio* a) pro ſigno acrimoniæ arthriticæ habetur. At ſi quis de omnibus hiſce dubitet, exitum febris, & metaſtaſim ad articulos factam reſpiciat.

Anamneſis in ſecundo ægro varia iterum argumenta latentis arthritidis exhibet. Hæmorrhoides enim, & animus absque cauſa morali ſæpe dijectus & triſtis, ſignum temperamenti arthritici a *Grantio* b) habentur.

H h 5 No-

a) Whytt, von den Nervenkrankheiten.
b) Grant, von den chronischen Krankheiten.

Notandum præterea, in hoc ægro materiam arthriticam ad inteſtinorum vaſa potiſſimum decubuiſſe, illumque morbum conſtituiſſe, qui nomine plethoræ abdominalis mihi venit. Digeſtio nempe læſa, hæmorrhoides, colici dolores frequentes, & facies læte roſea. Morbus hic juvenibus, fœminis otioſis, bene paſtis circa petiodum emanentium catameniorum, viduis junioribus, viris vitam ſedentariam degentibus, ſolemnis eſt, & plurimorum malorum abſconditorum feraciſſimus. Certa tunc diagnoſi deſtituti, neſcio, quas nervorum debilitates, hypochondriaſes, viscerum obſtructiones nobis effingimus, & apparatu remediorum ſtimulantium, roborantium, ſolventium uſu morbi incrementa acceleramus. Regimen antiphlogiſticum, ſerum lactis, hirudines ad annum, balnea tepida, accomodata magis huic morbo remedia ſunt.

Morbus hic non raro varias tragœdias ludit, pro diverſa nempe abdominis parte, quam occupat. Obſervatur ſæpe chronicus vomitus aſſumptorum, alvo interim pertinaciter obſtipata, ut ſcirrhum ventriculi ſubeſſe exiſtimes. Inde non raro ſæviſſimæ cardialgiæ, præſertim in fœminis, quarum abdomen anguſto thoraculo conſtringitur, aut

quæ

quæ aſſiduo corpore antrorſum inclinato ſedent a).

Nonnunquam vaſis diſtentis, & varicoſis redditis, ruptisque, vomitus cruentus oritur, vel morbus niger *Hippocratis*. Quanta autem vaſorum abdominalium expanſio ſubinde ſit, anatomicis ſectionibus conſtat. Ita *Veſalius* L. V. C. 15. vidit venæ portæ ramum per totum ductum inteſtini recti ad craſſitiem fere pollicis adauctum. Narrat Quærinomus (Conſultat. 584) non raro ſe inveniſſe obſtructas meſenterii venas adeo dilatatas, ut ſpeciem inteſtinorum potius, quam, venarum præ ſe ferant. *Lietaud* Inbegriff der medizinischen Praxis p. 354 venam portarum inſtar inteſtini dilatatam deſcribit.

Habet vero hæc plethorica abdominalium vaſorum conditio acrimoniam plerumque pro cauſa, ad vaſa illa depoſitam, & humores copioſius allicientem, ut egregius *Tiſſotus* notat; licet etiam viſceribus obſtructis, & hinc impedito per abdominis territorium humorum circulo, quandoque debeatur: at tunc utriusque morbi ſigna ſimul obſervantur. Tunc nempe facies & oculi flaveſcunt, atque ſollicita abdominis explora-

a) *Stoll* Rat. med. P. I. p. 241.

ratione, tumorum ambitus tactu determinari poterit; quod autem in meis ægris non obſervabatur.

De hæmorrhoidibus adhuc quædam dicenda ſuperſunt. Sunt autem hæmorrhoides, ut ſupra jam monui, temperamenti arthritici ſignum. Atque ego jam dudum in illa opinione verſabar, hæmorrhoidum fluxum ferme ſemper ab acrimonia arthritica præcipue derivandum eſſe; quam ſententiam clariſſimorum virorum obſervatis comprobatam lego.

Daniel Sennertus a) hæmorrhoides morbidam corporis conſtitutionem arguere aſſerit, & talem equidem, quæ vitioſos, præcipue melancholicos, & aduſtos humores generat, quos, ad conſervandam corporis ſanitatem natura hæmorrhoidum fluxu evacuare ſolet. Et dein, de aloëticis ad hæmorrhoides aperiendos diſſerens, *Fuchſii* ſententiam proponit, qui aloën id non per ſe, ſed per accidens præſtare credit, quod videlicet acres humores, qui ſua acrimonia ani venas aperiunt, commovet; aut quod, ut ipſe ſuſpicatur *Sennertus*, attenuando ſanguinem fervidiorem reddit, & quaſi fundit, illi-

a) L. II. P. II. ſect. II. p. 420.

illique talem qualitatem inducit, quam alias ſanguis in iis obtinet, qui ad hæmorrhoidum fluxum prædiſpoſiti ſunt. Atque in hoc caſu aloes ſucco venæ ani aperiuntur.

Peter Foreſtus a) cum *Alexandro Benedicto veroneſi* hæmorrhoides oriri contendit, cum acuti mordacesque in corpore humores abundaverint, quibus orificia venarum aperiuntur. Licet & alias ibi proponat earundem cauſas. Idem Libr. XXIX. obſerv. IV. narrat hiſtoriam arthritidis-podagram nempe & chiragram hæmorrhoidibus ſuppreſſis ſuccedentis, quibus redeuntibus podagra & chiragra denuo ceſſarunt. p. 787.

Hæmorrhoides evacuationi humoris melancholici, id eſt atrabilarii (fomitis arthritici) proprie dicatas eſſe, dudum jam notavit *Hippocrates*.

Adrianus Spigelius b) refert, ſe in germania vidiſſe multos homines a catarrho ſalſo vexatos, ſanatosque longa hæmorrhoidum fluxione.

Ex hæmorrhoidibus ſuppreſſis frequentiſſima arthritis, & omnes morbi articulares

---

a) Obſervat. & cur. med. p. 487.
b) De h. c. fabr. l. c. 3.

res. Hæmorrhoides fluentes, arthritidem licet non tollant, eam tamen leniunt a).

Attamen *Cornelius Zurgius* Hollandiæ præses, cum articulari dolore affligeretur, apparentibus consuetis hæmorrhoidibus, iisque fluentibus, statim prædixit *Forestus*, eum ab omni dolore articulorum liberatum iri; neque inquit, me fefellit hæc sententia, cum nephritidi quoque remedio sint b). At quanta sit utriusque hujus morbi, arthritidis nempe, & passionis nephriticæ cognatio, & ad invicem relatio, abunde innotescit.

Cum ante aliquot annos hic Viennæ arthritides chronicæ potissimum regnarent, quæ usum guajaci, & antimonialium maxime exigebant, ægri, narrante mihi, Viro clarissimo *Closset*, plurimum levaminis ab hæmorrhoidum fluxu experiebantur.

Stahlius c) in frequentiori hirudinum ad venas hæmorrhoidales applicatione spem futuræ podagræ sanationis posuit.

Quod reliquas hæmorrhoidum causas attinet, utut speciosæ, atque subtiliter excogitatæ a veritate tamen alienæ sunt.

Boer-

---

c) Ill. Quarin. Animadv.
b) L. c. observ. IV.
c) Casuale magnum.

Boërhaavius homines in optima ſanitate conſtitutos, ideo quandoque hæmorrhoidibus laborare credidit, quod alvus iis plerumque moroſa fœcum accumulationi intra inteſtinum cavum anſam det, unde circulatio per vaſa abdominalia impediatur. At licet id ſubinde ita fieri negare non auſim, ſufficit hic notaſſe, illam alvi ſegnitiem non ad ſanitatis regulas accidere, & in arthriticis corporibus potiſſimum obſervari. Quod denique ad gravidas attinet, quibus haud raræ ſunt hæmorrhoides, mallem easdem quandoque cum *Baglivio* ab uteri intumeſcentia, & inde compreſſis vaſis inteſtinorum per venas refluxu, licet rarius, derivare; cum, licet in omni gravida uterus intumeſcat, non tamen hæmorrhois perpetuus graviditatis comes eſt; & illæ præcipue gravidæ, & corpore cacochymo & impure ſunt, primis maxime geſtationis temporibus afficiuntur, notante *Primroſo* de vulgi erroribus p. 148.

Inde igitur conſtat, quo ſenſu, quove jure hanc febrim hæmorrhoïdalem nominaſſe voluerit *Haënius*?

Æger tertius jam diu rheumaticis affectionibus vexabatur.

In

In omnibus his ægris, urina, etsi varia quantitate missus, idem tamen in omnibus sedimentum exhibuit, nempe album, mucosum, quale arthriticorum, aut rheumaticorum esse solet. Ejusmodi sedimentum in dysentericis boni præsagii; semelque in vetula urinam nigram cum tali hypostasi conspexit *Haënius*: ægra convaluit. Oper. posth. P. I. p. 314 Ast quanta sit inter rheumatismum cognatio abunde constat. Urinam similem nonnunquam homines mingunt febre anomala detenti observante *Haënio*. An in his febribus anomalia debetur materiæ arthriticæ commotæ corpus oberranti?

An febres malignæ, ad quas hirudines ano adplicatas magis quam venæ sectionem conferre dicit *Fabricius ab Aquapendente*, similes fuere febres in corporibus arthriticis anomalæ, insolitis, gravibusque symptomatibus stipatæ?

Quid autem ex prædictis concludendum esse existimem, huc redeunt:

1) In omnibus his ægris manifesta signa materiæ arthriticæ in corpore oberrantis adfuisse, extra omne dubium est.

2) Febres *Haënio* hæmorrhoidales dictas, esse febres ex rheumaticarum & arthriticarum familia; sed ex regnantis constitutio-

ctionis idea propius determinandas esse: nam & inflammatorio, & bilioso, aut pituitoso charactere hæc hæmorrhoidalis febris insignita esse poterit.

3) Nec veritati congruit, hanc febrim sui generis esse, neque in morborum historiis sui similem habere. Unde autem tantæ turbæ in corpore, unde tam frequens ad evacuationes nisus, morbo licet crudissimo? Id partim ob eam rationem accidit, quod febris hæc in arthriticorum fibram exquisite sentientem, & in stimuli febrilis impatientissimam incidat; partim vero ob eam ipsam materiam acrem, orgasmo febrili commotam, corpus vage oberrantem, & corporis colatoria vario modo turbantem; atque etiam occludentem.

In curatione igitur febris hæmorrhoidalis ad febris principis indolem respiciendum est. Hac principe febre sua methodo fracta, vasis depletis; alvo subducta; solidorum tono restituto; viribus neque exorbitantibus, neque languentibus, materies arthritica ad superficiem corporis stimulo blandissimo promovenda: emulso lenissimo camphorato; refracta dosi spiritus Minde-

reri, tartari emetici, ipecacuanhæ, opii ; aut veſicante largo, dolentibus locis adplicato. Interim ea ſollicite continuanda ſunt, quæ febris principis character exigit.

Hucusque Viri amiciſſimi M. de Sallaba *in febrem hæmorrhoidalem animadverſiones, quibus* Haënii *de hac febre ſententia egregie dilucidatur.*

QUÆ-

QUÆDAM
ARTHRITIDIS ANOMALIÆ.

Insaniam arthriticam notavit *Whytt* von Nervenkrankh. ; surditatem vero arthriticam *Morgagni*, de *sedibus & caus. morb.* Epist. XXVII. n. 9.

Ad renes decumbens hydropem ad matulam producit, observante eodem *Whyttio*, l. c. p. 241.

Arthritica materies ad involucra testiculorum deposita hydrocelem causabat, superveniente podagræ paroxysmo discussam. *Pott on the hydrocele.*

Prolapsum ani, uterique cum doloribus articulorum alternantes, observavit *Brendelius.* Op. P. III. p. 144.

Intra viscera delitescens aneurismata interna sæpe æmulatur pulsatione continua, pulsu turbato, irregulari; quod in nostris regionibus, notante *Haënio*, frequens malum est.

Nonnunquam ad veſicam deponitur, & muci ſecretionem ita copioſam reddit, ut omnis ferme urina muco repleta ſit. Morbus hic non inſolens eſt, & pro calculo veſicæ frequenter imponit. Quod *Frid. Hoffmannus* ſæpius obſervavit; etiam *Lietaud.* Inbegriff der med. Prax. Th. III. S. 298.

Hanc de vario materiæ arthriticæ ad diverſas partes decubitu veritatem *Paulus Ægineta* optime perſpectam habuit: "Podagricus & articularis cruciatus non ſolum ex imbecillitate particularum proficiſcitur, neque etiam ex humore ſolum, ſed ex utroque: & humor præter naturam & particularum debilitas morbum articularem ſuſcitant." L. III. C. 78. p. 298.

CON-

CONSPECTUS MATERIARUM
TOMI QUARTI.

Historia. Fluor albus cum oëdemate crurum.
—— Lumbricus.
—— Febris tertiana duplicata.
—— Phthisis.
—— Continua remittens.
—— Continua remittens cum sputis puriformibus.
—— Diarrhæa a debilitate intestinorum.
—— Arthritis vaga, visceribus abdominis obstructis.
—— Phthisis post hæmoptoën.
—— Obstructio hepatis post quartanam.
—— Febris tertiana.
—— Diarrhæa & oëdema crurum.
—— Pleuritis rheumatica.
—— Febres intermittentes.
—— Febris quartana.
—— Chlorosis.
—— Intermittens cum pleuritide complicata.
—— Obstructiones viscerum abdominalium.
—— Pleuroperipneumonia.
—— Variolæ confluentes.
—— Febris intermittens.
—— Pleuroperipneumonia.
—— Hæmorrhoides.
—— Continua remittens.

Hi-

SECTIO III.

Adverſaria varii argumenti.

Facilis partus.
Eryſipelas.
Methodus ruſticorum curandi febres intermittentes.
Secundinæ retentæ.
Cutis hecticorum.
Dolores ſpurii gravidarum.
Læſus oculorum motus.
Rotulæ anthelminticæ.
Methodi curandi febres intermittentes.
Loquela deperdita ex diſſimulata ira.
Dolores a ſecundinis.
Dolor pungens ad hypochondrium ſputo, ſanguinis ſolutus.
Fœtus diu non reſpirans excitatus.
Remedia euporiſta in affectione hyſterica.
Aqua hydropicorum crurum educta.
Oculorum morbi ex variolis.
Angina oëdematoſa.
Paralyſis.
An, & quando thermæ concedendæ hydropicis.

Ra-

Tuſſis

CONSPECTUS MATERIARUM
TOMI QUINTI.
SECTIO I.

Obſervationes medicæ annorum 1774 & 1775.

Hiſtoria. Pleuritis.
—— Paralyſis.
—— Pleuritis.
—— Hypochondriaſis.
—— Febris inflammatoria.
—— Morbi.
—— Abortus.
—— Mors apoplectica.
—— Arthritis.
—— Colluvies ſeroſa ad ventriculum.
—— Colica a glutine.
—— Phrenitis exſtiſpicium.
—— Convulſio capitis & brachiorum.
—— Sputum ſanguinis.
—— Peripneumoniaillioſa.
—— Diſpoſitio phlogiſtica.
—— Dolor rheumaticus.
—— Rheuma.
—— Colica hæmorrhoidalis.

Ple-

Hiſtoria. Plethora.
—— Spasmi a coitu.
—— Peripneumonia chronica.
—— Peripneumonia chronica.
—— Hyſterica.
Obſervationes variæ.
—— Febris bilioſa.
—— Variolæ.
—— Catarrhus.
—— Morbus hyſtericus.
—— Hyſterica.
—— Item.
—— Fluor albus.
—— Menſium ſuppreſſio.
—— Peripneumonia bilioſa.
—— Hæmorrhagia uteri.
Obſervationes variæ.

SECTIO II.

Hiſtoriæ morborum in noſocomio SS. Trinitatis conſcriptæ anni 1776.

Hiſtoria. Vomitus cruentus.
—— Peripneumonia bilioſa.
—— Febris quotidiana cum affectu pectoris.
—— Dolor inflammatorius circa ſyſtema uropoieticum.
—— Hepatitis bilioſa.

Peri-

Ca-

Perip-

TOMI QUINTI.

SECTIO III.

SECTIO IV.

SECTIO V.

INDEX.

INDEX

IN

PARTEM QUARTAM ET QUINTAM.

A.

Ar-

C.

Con-

D.

Equi-

Fe-

Fe-

Fe-

Fe-

G.

Glo-

I.

L.

M.

Ma-

Mor-

N.

O.

On-

P.

Phthi-

Pleu-

Præ-

Q. Quæ-

Q.

R.

Rheu-

S.

---

*) *Stollii* scriptis, *Prælectionum in morbos chronicos* adhuc volumen secundum, quod nunc ex officina *Wappleriana* prodit, adnumerandum est.

Neque alia scriptiuncula, ad virum clarissimum *Nicolai Bibliothecæ germanicæ* inserta (allgemeine deutsche Bibliothek, 48 B. 2 St.) prætereunda. Iniquus enim censor quædam in *Partem tertiam Rationis* medendi animadverterat, quæ *errori practico* ansam facile potuissent dare. Agebatur enim de usu emeticorum in Hæmoptoë. Alterantia remedia præplacuere censori, atque *Stollii* de his silentium mirabatur. Respondit *Stollius*: Febrim de qua sibi sermo erat, biliosam febrim fuisse, cum hæmoptoë symptomatica; febrim autem biliosam, *evacuantibus*, non *alterantibus* sanari, cæterum usum alterantium in aliis hujus sanguinei fluxus speciebus sæpius abse adhibitum fuisse, etsi in præserti nullam eorum mentionem fecerit; atque ita finit:

Wer mir zutrauet, im Buche der Natur selbst zu lesen, wird mir auch die weit bequemere, und weit leichtere Art, gemächlich die Schriften der Aerzte durchzublättern, zutrauen.

Wien den 3. December 1781.

Maximilian Stoll,
Prof. der medizinis. Praxis.

MAXIMILIANI STOLL,

MEDICINÆ CLINICÆ P. P. O. IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI,

PARS QUINTA

RATIONIS MEDENDI.

POST EJUS OBITUM

EDIDIT ET PRÆFATUS EST

JOSEPHUS EYEREL.

MAXIMILIANI STOLL,

MEDICINÆ CLINICÆ P. P. O. IN UNIVERSITATE
VINDOBONENSI,

PARS QUARTA

RATIONIS MEDENDI.

POST EJUS OBITUM
EDIDIT ET PRÆFATUS EST
JOSEPHUS EYEREL.

T.

Tu-

U.

V.

Vo-

triam perenne monumentum Poſteris reliquit.

Ita enim univerſam Artem Medicam ſtudiis TUIS *augeri ornarique videmus, ut* Stollii *mortalitas magis, quam vita ejus, morte finita ſit.*

Has igitur Præceptoris optimi reliquias, cum ſingularis illius in TE

Dieß Blatt ist am gehörigen Orte anzubinden.

amicitiæ memoria, tum ſumma meæ æſtimationis affectione adductus, TUO *Nomini conſecratas eſſe volui; utpote certus*, TE *illas eadem, qua* Tibi *dantur, jucunditate ſuſcipere.*

Joſephus Eyerel.

SECTIO III.

FEBRIS RHEUMATICA.